DE EQUITIBUS ATTICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
ALBERTINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVI. MENSIS APRILIS MDCCCLXXXII
HORA XII
UNA CUM THESIBUS ADIECTIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GEORGIUS LEJEUNE DIRICHLET
PRUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ERNESTUS WAGNER, DR. PHIL.
OSCARIUS CRUEGER, CAND. PHIL.

REGIMONTII.
EX OFFICINA HARTUNGIANA.
MDCCCLXXXII.

FRANCISCO RUEHL

D. D. D.

AUCTOR.

Postquam tot tantique viri res ad equitatum atticum spectantes vel universas vel ex parte tractaverunt[1]) si ego quoque de hac re disserere mihi proposui, hoc ei rei tribuendum est, quod inter eas disputationes, quibus totae, quae ad equites pertinent, res tractantur, nullam adhuc inveni, qua toti materiae prorsus satisfactum quaeque ita divisa sit, ut singulas partes dilucide cognoscas.

I.

De munere ἱπποτροφίας.

Qui cives Athenienses coacti sint, equo stipendia facere, non plane constat, sed uno loco Xenophontis veri simile est, nullos nisi locupletiores cives Athenienses in ordinem equitum redactos esse. Dicit enim Xenophon

1) Larcher: Mémoires de l'académie des inscriptions XLVIII, p. 83 seqq.

C. F. Hermann: Progymnasium ad Aristophanis Equites Marburgi 1835 II. De equitibus Atticis.

Boeckh: Die Staatshaushaltung d. Ath. I² p. 351 seqq.

Bake: Mnemosyne VIII (1859), p. 217 seqq. — Scholica hypomnemata V, p. 135 seqq.

Sauppe: Philologus XV, p. 69 seqq.

Frohberger: Ed. Lysiae II, p. 4 seqq. III, p. 2 seqq.

Thumser: De civium Atheniensium muneribus eorumque immunitate p. 80 seqq.

Koerte: Archaeol. Zeit. 1880, p. 177 seqq.

Gilbert: Handb. d. griech. Staatsalterth. I, p. 305 seqq.

in eo libello, quem ad instruendum magistrum equitum scripsit, haec:[1]) τοὺς μὲν τοίνυν ἱππέας δῆλον ὅτι καθιστάναι δεῖ κατὰ τὸν νόμον τοὺς δυνατωτάτους καὶ χρήμασι καὶ σώμασιν ἢ εἰσάγοντα εἰς δικαστήριον ἢ πείθοντα ..... καὶ γὰρ τοῖς ἧττον δυναμένοις εὐθὺς ἂν εἴη ἀποστροφή, εἰ μὴ τοὺς δυνατωτάτους πρώτους ἀναγκάζοις ..... τάδε διδάσκων, ὡς ἀναγκασθήσονται μὲν ἱπποτροφεῖν, ἢν μὴ ὑπὸ σοῦ, ὑπ' ἄλλου διὰ τὰ χρήματα.

Nec mirum est, equitatum Atheniensem e locupletioribus potissimum civibus compositum esse, quod qui equites stipendia facerent, de sua pecunia equum alere debebant, id quod Graeci ἱπποτροφίαν appellabant. Quam ἱπποτροφίαν in numerum λειτουργιῶν referendam esse, non translata vocabuli significatione, qua omne stipendium militare λειτουργία dici potest,[2]) sed pretiosum ditiorum civium munus, recte admonet Frohbergerus.[3]) Amplius de munere ἱπποτροφίας disserit Thumserus,[4]) qui ut in numero liturgiarum hoc munus esse ostendat, praecipue loco Lycurgi nititur, qui (adv. Leocr. p. 233 Reiske) ita verba facit: Καίτοι τινὲς αὐτῶν οὐκ ἐπὶ τοῖς λόγοις ὑμᾶς προσκρούσασθαι ζητοῦσιν, ἀλλ' ἤδη ταῖς αὐτῶν λειτουργίαις ἐξαιτεῖσθαι τοὺς κρινομένους ἀξιώσουσιν ..... οὐ γὰρ εἴ τις ἱπποτετρόφηκεν ἢ κεχορήγηκε λαμπρῶς ἢ τῶν ἄλλων τῶν τοσούτων τι δεδαπάνηκεν, ἄξιός ἐστι παρ' ὑμῶν τοιαύτης χάριτος .... ἀλλ'

---

1) Hipparch. I, 9.

2) Demosthenes. Mid. 165 ἀλλ' αὐτῶν ἕκαστος ἑκὼν ἐπιδοὺς τριήρη οὐκ ἀπέδρα ταύτῃ τὴν στρατείαν, ἀλλὰ τὴν μὲν [ἐπίδοσιν] ἐν χάριτος μέρει δωρεᾶς παρεῖχον πλέουσαν τῇ πόλει, οὗ δ' ὁ νόμος προσέταττεν, ἐνταῦθα τοῖς σώμασιν αὐτοὶ λειτουργεῖν ἠξίουν. — Lysias XIX, 58. Πεντήκοντα γὰρ ἔτη ἐστίν, ὅσα ὁ πατὴρ καὶ τοῖς χρήμασι καὶ τῷ σώματι τῇ πόλει ἐλειτούργει. — XXXI, 15 . . . ὥσπερ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν πολιτῶν αὐτοὶ οὐ δυνάμενοι λειτουργεῖν τοῖς σώμασιν.

3) Ed. Lysiae p. 4.

4) De civium Atheniensium muneribus eorumque immunitate (Vindobonae 1880) p. 80 seqq.

εἴ τις τετριηράρχηκε λαμπρῶς ἢ τείχη τῇ πατρίδι περιέβαλεν ἢ πρὸς τὴν κοινὴν σωτηρίαν ἐκ τῶν ἰδίων συνεισπόρησε; Quo loco, ut recte ait Thumserus,[1]) „hoc munus opponitur trierarchiae atque aliis muneribus, quae salutis rei publicae causa cives suscipiebant“. Atque Xenophon quoque una cum aliis liturgiis mentionem fecit *ἱπποτροφίας*:[2]) *ἔτι δὲ καὶ τὴν πόλιν αἰσθάνομαι τὰ μὲν ἤδη σοι προστάττουσιν μεγάλα τελεῖν ἱπποτροφίας τε καὶ χορηγίας καὶ γυμνασιαρχίας καὶ προστατείας κ. τ. λ.* Atque ex alio quodam Xenophontis loco[3]) satis apparet, ditissimos cives de sua pecunia equum alere coactos esse. Postquam citius atque facilius equites numerum lege praeceptum expleturos esse dixit, si ducenti equites externi conducerentur, ita pergit: *εἰς δὲ τιμὴν τῶν ἵππων νομίζω ἂν αὐτοῖς χρήματα ὑπάρξαι καὶ παρὰ τῶν σφόδρα ἀπεχομένων μὴ ἱππεύειν, ὅτι καὶ οἷς καθίστησι τὸ ἱππικὸν ἐθέλουσι τελεῖν ἀργύριον ὡς μὴ ἱππεύειν, παρὰ πλουσίων γε ἀδυνάτων δὲ τοῖς σώμασιν· οἴομαι δὲ καὶ παρ' ὀρφανῶν τῶν δυνατοὺς οἴκους ἐχόντων.* Corruptelam esse in verbis *οἷς καθίστησι τὸ ἱππικόν*, et qui ediderunt et qui alias tractaverunt hunc locum, cognitum habuerunt, et alias correctiones alii proposuerunt viri docti. Budaeus pro *καθίστησι* coniecit *καθήκει*, h. e. ei quibus equo merere officium est, quae coniectura, quamquam a dicendi consuetudine Xenophontea non aliena est,[4]) hoc tamen habet suspecti, quod, ut ait Bakius[5]) „redimendae militiae, aut cuiuscumque demum muneris aut oneris exemplum et auctoritatem in tot veteris historiae Atheniensium monumentis, non facile quisquam allaturus est“. Bakius igitur, quod antea iam putaverat Curerius,

1) Ibidem p. 81.
2) Oecon. II, 6.
3) Hipparch. IX, 5.
4) Cyrop. I, 2, 5; Anab. I, 9, 7.
5) Mnemosyne VIII, p. 76.

spuria habet verba ὅτι καὶ οἷς καθίστησι τὸ ἱππικὸν ἐθέλουσι τελεῖν ἀργύριον ὡς μὴ ἱππεύειν et „παρέμβλημα eius, qui de suo interpretari et amplificare vellet ea, quae Xenophon recte et suo proposito convenienter dixerat." Hanc Bakii argumentationem Ruehlius his verbis probavit:[1] „Ich halte es nach dem, was wir sonst von der athenischen Verfassung wissen, ebenso wie Bake, für unmöglich, wenn nicht ganz schlagende Beweise beigebracht werden können, an eine Stellvertretung in der athenischen Armee oder an die gesetzliche Möglichkeit eines Loskaufs vom Kriegsdienste zu denken." Atque quod Sauppius protulit,[2] Ruehlius refellit, Xenophontem hoc loco id proposuisse, quod ipse narraret alibi[3] de Agesilao, ille enim eis ab equitatu vacare permisit, qui ipsi et virum et equum et arma praeberent. Sed una mihi in Ruehlii ratiocinatione repugnantia esse videtur, cum enim vicarios et redimendi facultatem in Atheniensium muneribus fuisse omnino neget, recte tamen Sauppium tria locupletum genera in hoc loco Xenophonteo invenisse putat, primum qui corpore valeant, neque vero militare velint, deinde qui rebus neque vero corpore valeant, denique pupillos, eumque propterea καὶ ante παρὰ πλουσίων inseruisse. Primum illud, quod Sauppius sumit, locupletum genus omnino huc non pertinere, contendere posse mihi videor. Nam si conceditur, eis, qui corporibus valeant neque vero equites stipendia facere velint, pecuniam solvere pro equitando licere, etiam hoc non concedi non potest, redimendi facultatem in hoc quidem munerum genere Athenis exstitisse, quod ita se habere Ruehlius negavit. Omissis verbis inde ab ὅτι usque ad ἱππεύειν, totum ego locum ita intellego: Pecunia praebebitur ab iis, qui prorsus equitando se ab-

1) Zeitschr. f. d. oestr. Gymn. 1880, p. 410.
2) Philologus XV, p. 76.
3) Hell. III, 4, 15. Ages. I, 23.

stinent, nimirum a divitibus corpore vero impotentibus et ab orbis, quibus opima fortuna est, nam eos non modo a munere *ἱπποτροφίας*, sed etiam ab omni munerum genere immunes fuisse aliunde constat.[1]) Quae cum ita sint, si tamen quis Budaei coniecturam *οἷς καθήκει τὸ ἱππικόν* comprobet, eum hunc locum ita intellegere opus est, ut de lege ferenda loquatur Xenophon, qua tamen in re eventus idem fuisse videtur, ac cum quarto illius libri, quem de vectigalibus scripsit, capite metalla non a singulis civibus sed a tota republica suscipienda atque administranda esse, Atheniensibus persuadere conaretur. — Paucis commemorem, quod ad locum nostrum sanandum proposuit C. F. Hermannus,[2]) qui cum *καθήκει* illud Budaei a litteris nimis recedere existimaret, probante Sauppio,[3]) leniorem correctionem commendavit *τοῖς καθιστᾶσι τὸ ἱππικόν*, id quod interpretatur „iis qui constituerunt eqites, hipparchis nimirum". Quamvis ne ego quidem Budaei coniecturam comprobem, hoc tamen Hermanni argumentum refutandum esse existimo; cum enim magnopere corrupta sint libri Xenophontei imprimis, quae scripta minora dicuntur, a codicum manu scriptorum lectione aliquanto longius recedere interdum licebit. Deinde nihil ad rem attinet, quis sit, qui accipiat illam pecuniam, sed qui pendat. Atque etiamsi respicis verbosam Xenophontis elocutionem, tamen prorsus inutilia ac supervacanea videntur esse illa verba *τοῖς καθιστᾶσι τὸ ἱππικόν*. — Tractanti hunc locum mihi liceat, Hermanni sententiam quandam[4]) oppugnare.

1) Lysias XXXII, 24. *ὀρφανοῖς . . . . οὓς ἡ πόλις οὐ μόνον παῖδας ὄντας ἀτελεῖς ἐποίησεν, ἀλλὰ καὶ ἐπειδὰν δοκιμασθῶσιν, ἐνιαυτὸν ἀφῆκεν ἁπασῶν τῶν λειτουργιῶν.* Vide Demosth. de symm. § 16.

2) De equitibus atticis p. 26.

3) Philologus XV, p. 76. Sauppius pro *ὅτι* scribendum esse putat *ὅτε*.

4) L. l. p. 24.

Tantum mihi abesse videtur, ut scripserit haec Xenophon immemor, orbos ab omni liturgiarum genere immunes fuisse, ut vel sua sponte orbos locupletiores ad exornandos alendosque equites peregrinos eorumque equos pecunias esse impensuros speret, vel commutare etiam illam legem parum iustam iubeat Athenienses.

Sed redeat, unde digressa est disputatio. Quod Bakius: „Nec usquam, inquit,[1]) demonstratur lege teneri ditiores in equitatu mereri" et „ipsum autem ἱππεύειν quomodo in liturgiis censeri poterat cum censu coniunctum, cum equitibus μισθὸς praeberetur et σῖτος?" hanc sententiam Thumserus hisce verbis refellit:[2]) „Respiciendum est, quod Bakium ipsum non effugit, 'sibi quemque et equum et reliqua, quibus opus erat, comparasse' (p. 221) ac pecuniis illis a civitate concessis aliquanto tantum esse adiutum." Atque ipse quod negat Bakius alio loco concedere videtur;[3]) quid enim aliud significant verba: „Constat igitur ex lege eos ab hipparcho in equitatum legendos fuisse, qui praestarent et opibus et corpore"? Nec omnino hoc negari potest, si respicis verba illa, quae supra e Xenophonte attuli.[4]) Atque ex omnibus, de quibus adhuc disputavi, locis hoc nostro iure colligere poterimus, primum munus ἱπποτροφίας in numero liturgiarum fuisse Athenis, et de sua pecunia equum et sibi comparare et alere coactos fuisse equites, deinde ditissimos cives ad equitandum lectos esse, nimirum ex ordinibus equitum et pentacosiomedimnorum. Nam ex iis, quae Boeckhius dixit in priore editione libri, cui inscribitur: Die Staatshaushaltung der Athener,[5]) non id

1) Mnemosyne VIII, p. 225 = Scholica hypomnemata V, p. 110.

2) De. civ. Ath. mun. p. 82.

3) Schol. hyp. V, p. 160.

4) pag. 2. Hipparch. I, 9.

5) II, p. 35.

colligi potest, quod videtur Hermanno,[1]) pentacosiomedimnos trierarchia aliisque muneribus occupatos ab equitatu prorsus alienos fuisse, Boeckhium putasse; nihil enim nisi praecipue praetores atque trierarchos illos fuisse, inesse in verbis mihi videtur viri illustrissimi; et in altera illius libri editione nonnullos pentacosiomedimnos in numero equitum fuisse, ipse coniecit Boeckhius.[2]) Cui rei optime convenit locus ab Hermanno ex Isaeo[3]) allatus: *ἐπειδὴ γὰρ τῷ Φιλοκτήμονι ἐκ μὲν τῆς γυναικὸς, ᾗ συνῴκει, οὐκ ἦν παιδίον οὐδέν, πολέμου δ' ὄντος ἐκινδύνευε καὶ ἱππεὺς στρατευόμενος καὶ τριήραρχος πολλάκις ἐκπλέων. κ. τ. λ.*, quo loco eundem civem et *ἱπποτροφίας* munere et *τριηραρχίας* perfunctum esse discimus.

Respiciendum est, quod iam in medium protulit Hermannus, solum atticum non ita idoneum esse equis alendis ipsique equitando, exceptis regionibus circum Marathona[4]) et nescio an circum Eleusina sitis, multosque introductos esse equos. Itaque non mirandum est, quod tantum fuit pretium equorum, ut nulli nisi locupletiores cives Athenienses illos sibi comparare possent. Peiores equos nonnunquam tribus minis emi potuisse, apud Isaeum legimus.[5]) Multo plus autem pendere solebant, qui equum emere voluerunt,[6]) atque duodecim minis stetisse bonos equos ad equitandum idoneos, duo docent loci Aristophanei,[7]) quod illis temporibus permultum

---

1) L. l. p. 13. sqq.

2) I, pag. 367.

3) De Philoct. hered. c. 5.

4) Herod. VI, 102 *καὶ ἦν γὰρ ὁ Μοραθὼν ἐπιτηδεώτατον χωρίον τῆς Ἀττικῆς ἱππεῦσαι.*

5) De Dicaeog. hered. 42. *Οὐ γὰρ πώποτε ἐκτήσω ἵππον πλείονος ἄξιον ἢ τριῶν μνῶν.*

6) Buechsenschuetz: Besitz und Erwerb im griechischen Alterthum p. 216.

7) Nubes 22: *Τοῦ δώδεκα μνᾶς Πασίᾳ; τί ἐχρησάμην Ὑτ' ἐπριάμην*

fuisse, negare non poterimus, quamquam aequum semper pretium fuisse, contendere non fas est, velut etiam inter poetam et inter oratorem, qui diversa de hac re memoriae tradiderunt, centum fere anni intersunt. Atque permagnas pecunias equis impensas esse interdum ab Atheniensibus, ex eo Xenophontis loco evinci potest, quo hipparchum se iuvenes ab insanis atque sumptuosis equorum emptionibus arcturum esse, parentibus ostendere iubet; ὡς ἀποστρέψεις, inquit[1]) τοὺς μὲν παῖδας [αὐτῶν] τῶν πολυτελῶν τε καὶ μανικῶν ἱππωνιῶν κ. τ. λ. Quae cum ita sint, non mirum est, etiam a veteribus scriptoribus locupletissimos ac nobilissimos eos habitos esse, qui equos possiderent.[2]) Atque nobiles erant et, ut ita dicam, ὀλιγαρχίᾳ inclinare solebant, qui equites stipendia fecerunt, quales describuntur in Aristophanis quae Ἱππεῖς inscribitur fabula; et postea fidelissimi triginta virorum ministri fuerunt, quod e Lysiae oratione pro Mantitheo habita evincitur.

II.

De pecuniis publice equitibus tributis.

Equites publice aliquantum adiutos esse, certamque iis pecuniam, qua se instruerent equumque alerent, a civitate datam, iam supra comemoravi,[3]) quam pecuniam σῖτον appellatam esse, tituli docent.[4]) Quam rem ita se habere ex hisce et scriptorum et titulorum locis cognitum habemus:

τὸν κοππατίαν. — 1224 τῶν δώδεκα μνῶν, ἃς ἔλαβες ὠνούμενος τὸν ψαρὸν ἵππον.

1) Hipparch. I, 12.

2) Aeschyl. Prom. 466: ἵππους ἄγαλμα τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς. — Demosth. de. cor. 320 (p. 331) . . . καὶ μέγας καὶ λαμπρὸς ἱπποτρόφος, ἐγὼ δ' ἀσθενής.

3) pag. 6: vide Thumser l. l. p. 82.

4) C. J. A. I, 188; II, 612.

Xenoph. Hipparch. I, 19: ἐπιτήδειον δὲ ὑπομιμνήσκειν, ὅτι καὶ ἡ πόλις ἀνέχεται δαπανῶσα εἰς τὸ ἱππικὸν ἐγγὺς τετταράκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ.

Demosth. XXIV, 97: διὰ τοίνυν τοῦ νόμου τούτου διοικεῖται τὰ κοινά· τὰ γὰρ εἰς τὰς ἐκκλησίας καὶ τὰς θυσίας καὶ τὴν βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας ἀναλισκόμενα οὗτός ἐσθ' ὁ νόμος ὁ ποιῶν προσευπορεῖσθαι.

Corp. Inscr. Att. II, 612 .... ἐπειδὴ οἱ ταμίαι τῶ[ν] τῆς θεοῦ οἱ ἐπὶ Ἡγεμά[χου ἄρχ]οντος[1]) ἐπεμελήθησαν [μετὰ τ]ῶν ἱππάρχων ὅπως ἂν οἱ [ἱππ]ε[ῖ]ς τόν τε σῖτον κομίσων[ται π]αρὰ τοῦ δήμου τόν ὀφειλ[όμενον] αὐτοῖ[ς] καὶ τἄλλα πάν[τα δ]ιατελ[ο]ῦσιν πράττοντες τ[ὰ σ]υμφέροντα. κ. τ. λ.

Equitem unumquemque pace drachmam quotidie a civitate accepisse, e titulo quodam[2]) cognoscimus, quem ad equitatum referendum esse, Boeckhius probavit. In primo versu haec exstant

.. *ΕΗΙΠΠ. ΑΣΔ.... ΑΧΜΕΙΙΝΟΣ.*

Primam quam legere licet litteram *E* perperam pro *Σ* scriptam esse, Boeckhius putat atque *ΤΟΥ* initio deletas esse, ut legendum sit τοὺς; sequentes inde litteras ita restituit, ut legat *ΗΙΠΠ[Ε]ΑΣΔ[ΕΔΡ]ΑΧΜΗΝ* κ. τ. λ. Verba igitur huc spectantia haec sunt: [τοὺ]ς ἱππ[έ]ας δ[ὲ δρ]αχμὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀπὸ τ.... καὶ τοὺς τοξότας τούς τε ἀστ[ικοὺς καὶ τοὺς.... τρ]εῖς ὀβολοὺς τοῦ ἐνια[υτ]οῦ ἀπὸ το... κ. τ. λ. Equitibus igitur drachmam, sagittariis tres obolos impensos esse videmus. Quoniam quadraginta talenta per singulos annos equitibus tributa esse, Xenophon narrat, respiciendum est, quantus Athenis numerus fuerit equitum, ut videamus, num fides adhibenda sit titulo illi. Quod ante Clisthenem nona-

---

1) Ol. 120, 1 = 300/299 a. Chr. n.
2) C. J. A. I, 79 = C. J. G. I, 80.

ginta sex equites fuisse legimus,[1]) auctis deinde a Clisthene naucrariis in quinquaginta,[2]) equites exstitisse centum, quod deinde in pugna apud Marathona commissa equites Atheniensibus omnino non fuisse, ex Herodoto[3]) discimus, quod denique ante bellum Peloponnesiacum trecentos fuisse numerum equitum Atheniensium, Andocides memoriae tradidit,[4]) haec omnia ad definiendam pecuniam nihil attinent, his enim temporibus omnino, qui status fuerit equitum, vix potest erui. Sed et Aristophanis et Xenophontis et Demosthenis aetate mille esse equitum numerum lege constitutum videmus,[5]) quod ut ostendam, afferre mihi liceat locos huc spectantes:

Aristoph. Equit. v. 225: *ἀλλ' εἰσὶν ἱππῆς ἄνδρες ἀγαθοὶ χίλιοι.*

Xenoph. Hipparch. X, 3: *Φημὶ δ' ἐγὼ [ταῦτα] σὺν τοῖς θεοῖς καὶ τὸ πᾶν ἱππικὸν ὧδ' ἂν πολὺ θᾶττον ἐκπληρωθῆναι εἰς τοὺς χιλίους ἱππέας καὶ πολὺ ῥᾷον τοῖς πολίταις, εἰ διακοσίους ἱππέας ξένους καταστήσαιντο.*

Demosth. XIV, 13: *τότε δ' ἂν ἄρα, ἃ νῦν οἰόμεθ', ἡμεῖς πράττηται, οὐδεὶς δήπου τῶν πάντων Ἑλλήνων τηλικοῦτον ἐφ' αὑτῷ φρονεῖ, ὅστις ὁρῶν ὑμῖν χιλίους μὲν*

---

1) Pollux VIII. 108 *ναυκραρία δὲ ἑκάστη δύο ἱππέας παρεῖχε καὶ ναῦν μίαν κ. τ. λ.* — Vide Schneider ad. Xen. Hipparch. IX, 3. — Boeckh. Staatsh. I², p. 358 sqq. Hermann l. l. p. 36 sqq.

2) Photius s. v. *ναυκραρία*: *Ὁ Κλείδημος ἐν τῇ τρίτῃ, φησίν, ὅτι Κλεισθένους δέκα φυλὰς ποιήσαντος ἀντὶ τῶν τεσσάρων συνέβη καὶ εἰς πεντήκοντα μέρη διαταγῆναι· αὐτοὺς δὲ ἐκάλουν ναυκράρια, ὥσπερ νῦν εἰς τὰ ἑκατὸν μέρη διαιρεθέντα καλοῦσι συμμορίας.*

3) VI, 112. *Οἱ δὲ Πέρσαι ὁρέοντες δρόμῳ ἐπιόντας παρεσκευάζοντο ὡς δεξόμενοι, μανίην δὲ τοῖσι Ἀθηναίοισι ἐπέφερον καὶ πάγχυ ὀλεθρίην ὁρέοντες αὐτοὺς ὀλίγους καὶ τούτους δρόμῳ ἐπειγομένους οὔτε ἵππου ὑπαρχούσης σφι οὔτε τοξευμάτων.*

4) De pace 5: *καὶ πρῶτον τότε τριακοσίους ἱππεῖς κατεστησάμεθα καὶ τοξότας τριακοσίους Σκύθας ἐπριάμεθα.* — Idem narrat Aeschines de fals. leg. § 173, vide etiam Thuc. VI. 31, 2

5) Huic convenit, quod dicit Hesychius s. v. *ἱππῆς· σύστημα πολεμικῶν ἀνδρῶν χιλίων ἵππους τρεφόντων.*

ἱππέας, ὁπλίτας δὲ ὅσους ἂν ἐθέλῃ τις, ναῦς δὲ τριακοσίας, οὐχ ἥξει καὶ δεήσεται, μετὰ τούτων ἀσφαλέστατ' ἂν ἡγούμενος σωθῆναι.

Huic numero alius opponendus est, quem dederunt Andocides, Thucydides, Suidas, qui mille ducentos exstitisse equites tradunt,[1]) quae tamen repugnantia mihi cum Schneidero atque Boeckhio ita e medio tollenda esse videtur, ut ducenti illi sagittarii equestres intellegendi sint, nam ipse Thucydides initio belli Peloponnesiaci *ξὺν ἱπποτοξόταις* mille ducentos equites fuisse Athenienses narrat, quos *ἱπποτοξότας* mercenarios fuisse recte Boeckhius putat,[2]) nam a ceteris equitibus secernuntur[3]) et inter eos merere a civibus Atheniensibus turpe habebatur.[4]) — Mille igitur equites et bello Peloponnesiaco et postea usque ad Demosthenis aetatem Athenis fuisse, pro vero habere poterimus, quamquam concedendum est, non eundem semper fuisse eorum numerum, quod aperte dicit etiam Philochorus apud Hesychium (l. l.), *διάφορα γὰρ ἦν ἱππέων πλήθη κατὰ χρόνον Ἀθηναίοις.*

Quodsi equitem unumquemque drachmam quotidie accepisse, supra e titulo collegimus, impensae equestres mille drachmae in diem, circiter sexaginta talenta in annum essent, id quod nimium est, cum paene quadraginta talenta commemoret Xenophon. Etiam in hac re

---

1) Andoc. de pace 7: *χιλίους τε καὶ διακοσίους ἱππέας καὶ τοξότας τοσούτους ἑτέρους κατεστήσαμεν.* — Thuc II, 13, 8: *ἱππέας δ' ἀπέφαινε διακοσίους καὶ χιλίους ξὺν ἱπποτοξόταις* — Suidas s. v. *ἱππεῖς: οὗτοι δὲ μετὰ ταῦτα τῆς πόλεως πληθυνούσης ἐγένοντο σ' πρὸς τοῖς χιλίοις.* — Vide Aeschin. fals. leg. 174.

2) Staatshaush. I², pag. 368.

3) Xenoph. Memor. III, 3. 1. *οὐ γὰρ δὴ τοῦ πρῶτος τῶν ἱππέων ἐλαύειν· καὶ γὰρ οἱ ἱπποτοξόται τούτου γε ἀξιοῦνται· προελαύνουσι γοῦν καὶ τῶν ἱππάρχων.*

4) Lys. Alcibiad. II, 6. *Νῦν δὲ τούτων οὐδὲν ἐποίησαν, ἀλλ' ἐν μὲν τῷ στρατοπέδῳ περιεώρων αὐτὸν ἀπὸ πάντων προπηλακιζόμενον κἂν τοῖς ἱπποτοξόταις ἱππεύοντα.*

Boeckhio adstipulor, qui pace non omnes mille equites in armis fuisse coniecit,[1]) sed circiter sexcentos, quorum stipendia circiter triginta quinque talenta efficerent. Hanc summam accipere possumus, cum non *τετταράκοντα* sed *ἐγγὺς τετταράκοντα τάλαντα* Xenophon dicat. Nescio an huc referenda sint Suidae verba, qui de equitibus s. v. *ἱππεῖς* — *ἦσαν δὲ τὸ μὲν πρῶτον*, inquit, *ἑξακόσιοι τὸν ἀριθμόν*.[2])

Pecunia equitibus partim ex aerario, partim ut Boeckhius putat,[3]) e perpetuis reditibus persoluta est. Huc enim spectat titulus (C. I. A. I, 188), qui rationem praefectorum aerarii anni 410 a. Chr. n. continet:

Ἐπὶ τῆς Αἰαντίδος πρώτης πρυτανευούσης Ἑ[λλ|η]νοταμίαις παρεδόθη Καλλιμάχῳ Ἁγνουσίῳ, Φρασιτελίδῃ Ἰκαριεῖ, ἵπποις σῖτος ἐδόθη Ἀθηναίας Πολ[ιά|δ]ος ΤΤΤ ΧΧΧΗΗΔΔΔΓΗΗC, Νίκης ΓΔΔΔΔΗΙΙΙↃ . . . .

Ἐπὶ τῆς Οἰνηίδος τρίτης πρυταν[ε]υούσης Ἑλληνο-

---

1) Staatshaush. I² p. 353.

2) Vide schol. Aristoph. Equ. 627. — In hac re Gilberto adsentior, qui in libro nuper edito, cui inscriptum est: Handbuch der griechischen Alterthümer (I pag. 306) huic scholio fidem non adhibendam esse putat. Nam praeter Suidam, qui ipsis huius scholii usus est verbis, nemo sexcentos equitum numerum lege aliquamdiu constitutum esse, in medium protulit. Atque hunc numerum etiam ad illa tempora pertinere arbitror, quibus mille fuisse equites Athenienses videmus. Sed ne iis quidem, quae Andocides atque Aeschines de equitum numero tradiderunt (vide s. pag. 10 not. 4), fidem adhibendam esse, Gilberto concedere non possum; nullis enim aliis argumentis nisus haec contendere videtur, nisi quod de longis muris non idem tradiderunt oratores illi ac Thucydides. Propter hanc rem quo iure C. Wachsmuthius in libro, qui inscribitur: „Die Stadt Athen im Alterthum" (I pag. 558 not. 1) „eine erschreckende Unkenntniss der heimischen Geschichte oder eine noch erschreckendere Freiheit im Arrangement historischer Thatsachen" Andocidi et Aeschini crimini det, intellegere non possum, quoniam nullum nisi Thucydidem contradicentem habere videntur.

3) Staatshaush. I² pag. 352.

ταμίαις παρεδόθη, Περικλεῖ Χολαργεῖ καὶ συνάρχουσιν ἵπποις σῖτος ἐδόθη ΤΤΡΗΗΗΗΔΔ.

ἕτερον τοῖς αὐτοῖς Ἑλληνοταμίαις ἵπποις σῖτος ἐδόθη ΤΤΡΗΗΗΗ . . .

Ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος τετάρτης πρυτανευούσης Ἑλληνοταμίοις παρεδόθη Περικλεῖ Χολαργεῖ καὶ συνάρχουσιν σ[ῖ]ιτος ἵπποις ἐδόθη ΤΤΤ . . .

Ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος ἑβδόμης πρυτανευούσης . . . . τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ Ἑλληνοταμίαις Φαλάνθῳ [Ἀ]λωπεκῆθεν καὶ συνάρχουσιν σῖτον ἵπποις ΤΤΤΤ

In quatuor igitur prytaniis ex aerario equitibus pecunia impensa est, ita ut numerarentur

in prima prytania	3 talenta,	3237 drachmae, semiobolus
in eadem		91 drachmae $3^1/_2$ oboli
in tertia prytania	2 talenta,	5420 drachmae
in eadem	2 talenta,	5400 drachmae
in quarta prytania	3 talenta	
in septima	4 talenta	

efficiuntur 16 talenta, 2145 drachmae, 4 oboli.

Cetera e publicis reditibus tributa esse equitibus, Boeckhium putare, iam supra dixi. — Foedus Atheniensibus Peloponnesiaco bello anno 420 cum Argivis, Mantineensibus, Eleatis icentibus, sociorum equitibus drachmam Aegineticam (σῖτον) quotidie tribui, si diutius triginta diebus iis uti vellent, constitutum est.[1]) — Hanc pecuniam domi militiaeque equitibus datam esse vidimus; bello praeterea semper mercedem sive stipendium (μισ-

1) Thuc. V, 47, 6. . . τοῖς δὲ βοηθοῦσιν ἡ πόλις ἡ πέμπουσα παρεχέτω μέχρι τῶν τριάκοντα ἡμερῶν σῖτον, ἐπὴν ἔλθῃ ἐς τὴν πόλιν τὴν ἐπαγγείλασαν βοηθεῖν καὶ ἀπιοῦσα κατὰ ταὐτά. ἢν δὲ πλείονα βούλωνται χρόνον τῇ στρατιᾷ χρῆσθαι ἡ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη διδότω σῖτον τῷ μὲν ὁπλίτῃ καὶ ψιλῷ καὶ τοξότῃ τρεῖς ὀβολοὺς Αἰγιναίους τῆς ἡμέρας ἑκάστης, τῷ δ' ἱππεῖ δραχμὴν Αἰγιναίαν. Fragmentum tabulae, quae illud foedus continet, inventum est, sed quae ad nostram rem pertinent, desunt. Vide Hermes XII p. 368 seqq.

θόν) additum esse, non tam certo contendere velim, quam Boeckhius[1]) atque Thumserus,[2]) nam Hyperidis loco, quo ille nisus est, de equitibus in Lemno insula positis sermo fit;[3]) praeterea vocabulum *μισθός* amplius est, quam quod germanice „Löhnung" appellamus, et quamquam non pro certo habeo, dictum esse hoc loco *μισθόν* pro *σῖτον*, hoc tamen non dubitari debet, *σίτου* notionem in hoc vocabulo contineri, nam etiam *σῖτον* equitibus illis tributum esse, negare non poterimus.[4]) Locum Xenophonteum, quo *μισθοῦ* mentio fit:[5]) ***δυνατοὶ δ' εἰσὶ κατὰ τὰ ἐν τῷ νόμῳ ὁπλίσαι καὶ ἄνευ τοῦ αὐτοὶ δαπανᾶν τῷ μισθῷ ἐπαναγκάζοντες κατὰ τὸν νόμον ὁπλίζεσθαι*** ad mercedem non pertinere, sed referendum esse ad *κατάστασιν*, infra in medium mihi proferendum erit.[6])

Quam *κατάστασιν* aeque pecuniam esse equitibus publice datam, tradidit Harpocratio s. v. *κατάστασις*. *Λυσίας „ψηφίσασθαι δὲ τοὺς φυλάρχους ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας, ἵνα τὰς καταστάσεις ἀναπράξητε παρ' αὐτῶν." ἔοικεν ἀργύριον εἶναι, ὅπερ οἱ κατασταθέντες ἱππεῖς ἐλάμβανον ἐκ τοῦ δημοσίου ἐπὶ τῇ καταστάσει, ὥσπερ αὐτὸς ὁ ῥήτωρ ἐν τοῖς ἑξῆς ὑποσημαίνει . παρεμφαίνει τοῦτο καὶ Εὔπολις Φίλοις·*

οὐκ ἐσωφρόνησας ὦ πρεσβῦτα τὴν κατάστασιν
τήνδε λαμβάνων ἄφνω πρὶν καὶ μαθεῖν τὴν ἱππικήν.

ἔτι δὲ σαφέστερον λέγεται ἐν τῷ Σύρφακι Πλάτωνος. ἀπεδίδοτο δὲ τὸ ἀργύριον ὑπὸ τῶν ἱππευσάντων, ὅτε

---

1) Staatshaush. I² p. 353.

2) De civ. Ath. mun. p. 83.

3) Pro Lycophr. XIV. *ὑμεῖς γάρ με, ὦ ἄνδρες δικασταί, πρῶτον μὲν φύλαρχον ἐχειροτονήσατε, ἔπειτα εἰς Λῆμνον ἵππαρχον καὶ ἦρξα μὲν αὐτόθι δύ' ἔτη τῶν πώποθ' ἱππαρχηκότων μόνος, προσκατέμεινα δὲ αὐτόθι τὸν τρίτον ἐνιαυτὸν οὐ βουλόμενος πολίτας ἄνδρας ἐπὶ κεφαλὴν εἰσπράττειν τὸν μισθὸν τοῖς ἱππεῦσιν. κ. τ. λ.*

4) De huius vocabuli significatione vide infra p. 20.

5) Hipparch. I, 23.

6) Vide infra pag. 19.

ἀντ' αὐτῶν ἕτεροι καθίσταντο · ἀπῄτουν δὲ αὐτὸ οἱ φύλαρχοι. — Idem et iisdem fere verbis omisso Eupolidis comoediae nomine, Platone omnino non commemorato, Photius in lexico[1]) et Suidas s. v. *κατάστασις* narraverunt. — Harpocratio, quae tradidit de catastasi e Lysiae oratione pro Mantitheo habita didicit, quam tamen ne male intellexerit vereor. Res enim haec est: Mantitheus, cum sorte in senatum creatus esset, triginta viris imperium tenentibus eques stipendia fecisse accusatus, quod magnopere invisum erat Atheniensibus,[2]) his verbis se defendit (§ 6): *Ἔπειτα δὲ ἐκ τοῦ σανιδίου τοὺς ἱππεύσαντας σκοπεῖν εὐηθές ἐστιν · ἐν τούτῳ γὰρ πολλοὶ μὲν τῶν ὁμολογούντων ἱππεύειν οὐκ ἔνεισιν, ἔνιοι δὲ τῶν ἀποδημούντων ἐγγεγραμμένοι εἰσίν. Ἐκεῖνος δ'ἐστὶν ἔλεγχος μέγιστος · ἐπειδὴ γὰρ κατήλθετε, ἐψηφίσασθε τοὺς φυλάρχους ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας, ἵνα τὰς καταστάσεις ἀναπράξητε παρ' αὐτῶν. Ἐμὲ τοίνυν οὐδεὶς ἂν ἀποδείξειεν οὔτ' ἀπενεχθέντα ὑπὸ τῶν φυλάρχων οὔτε παραδοθέντα τοῖς συνδίκοις οὔτε κατάστασιν καταβαλόντα.* Reddi pecuniam, quae *κατάστασις* appellabatur, ab iis, qui sub trigintaviris equites fuissent, populo placuit et propterea phylarchi e sua quique tribu indices equitum illorum curare iussi sunt, cum trigintavirorum *κατάλογοι* falsi essent.[3]) Neque in illis phylarchorum indicibus nomen suum exstitisse, neque syndicis, qui de bonis publicatis iudicaverunt, se traditum, neque *κατάστασιν* reddidisse profitetur Mantitheus, ut nunquam se equitasse ostendat. Dico „reddidisse catastasin"; nam in codice apud Lysiam legitur *οὔτε κατάστασιν παραλαβόντα*, quibus in verbis recte offendit Bakius[4]) „Quum enim,

---

1) Hic locus deest in Naberi editione.

2) Xen. Hell. III, 1, 4. *οἱ δ' ἔπεμψαν τῶν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἱππευσάντων, νομίζοντες κέρδος τῷ δήμῳ εἰ ἀποδημοῖεν καὶ ἐναπόλοιντο.*

3) Vide Frohberger Ed. Lys. III, p. 2

4) Mnemos. VIII, p. 223 = Schol. hyp. V, p. 147.

Boeckhio adstipulor, qui pace non omnes mille equites in armis fuisse coniecit,[1]) sed circiter sexcentos, quorum stipendia circiter triginta quinque talenta efficerent. Hanc summam accipere possumus, cum non *τετταράκοντα* sed *ἐγγὺς τετταράκοντα τάλαντα* Xenophon dicat. Nescio an huc referenda sint Suidae verba, qui de equitibus s. v. *ἱππεῖς* — *ἦσαν δὲ τὸ μὲν πρῶτον*, inquit, *ἑξακόσιοι τὸν ἀριθμόν.*[2])

Pecunia equitibus partim ex aerario, partim ut Boeckhius putat,[3]) e perpetuis reditibus persoluta est. Huc enim spectat titulus (C. I. A. I, 188), qui rationem praefectorum aerarii anni 410 a. Chr. n. continet:

Ἐπὶ τῆς Αἰαντίδος πρώτης πρυτανευούσης Ἑ[λλ|η]νοταμίαις παρεδόθη Καλλιμάχῳ Ἀγνουσίῳ, Φρασιτελίδῃ Ἰκαριεῖ, ἵπποις σῖτος ἐδόθη Ἀθηναίας Πολ[ιά|δ]ος TTT XXXHHΔΔΔΓFFC, Νίκης ΓΔΔΔΔFIIIↃ . . . .

Ἐπὶ τῆς Οἰνηίδος τρίτης πρυταν[ε]|νούσης Ἑλληνο-

---

1) Staatshaush. I² p. 353.

2) Vide schol. Aristoph. Equ. 627. — In hac re Gilberto adsentior, qui in libro nuper edito, cui inscriptum est: Handbuch der griechischen Alterthümer (I pag, 306) huic scholio fidem non adhibendam esse putat. Nam praeter Suidam, qui ipsis huius scholii usus est verbis, nemo sexcentos equitum numerum lege aliquamdiu constitutum esse, in medium protulit. Atque hunc numerum etiam ad illa tempora pertinere arbitror, quibus mille fuisse equites Athenienses videmus. Sed ne iis quidem, quae Andocides atque Aeschines de equitum numero tradiderunt (vide s. pag. 10 not. 4), fidem adhibendam esse, Gilberto concedere non possum; nullis enim aliis argumentis nisus haec contendere videtur, nisi quod de longis muris non idem tradiderunt oratores illi ac Thucydides. Propter hanc rem quo iure C. Wachsmuthius in libro, qui inscribitur: „Die Stadt Athen im Alterthum" (I pag. 558 not. 1) „eine erschreckende Unkenntniss der heimischen Geschichte oder eine noch erschreckendere Freiheit im Arrangement historischer Thatsachen" Andocidi et Aeschini crimini det, intellegere non possum, quoniam nullum nisi Thucydidem contradicentem habere videntur.

3) Staatshaush. I² pag. 352.

ταμίαις παρεδόθη, Περικλεῖ Χολαργεῖ καὶ συνάρχουσιν ἵπποις σῖτος ἐδόθη ΤΤΡΗΗΗΗΔΔ.

ἕτερον τοῖς αὐτοῖς Ἑλληνοταμίαις ἵπποις σῖτος ἐδόθη ΤΤΡΗΗΗΗ . . .

Ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος τετάρτης πρυτανευούσης Ἑλληνοταμίοις παρεδόθη Περικλεῖ Χολαργεῖ καὶ συνάρχουσιν σ[ῖ]|τος ἵπποις ἐδόθη ΤΤΤ . . .

Ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος ἑβδόμης πρυτανευούσης . . . . τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ Ἑλληνοταμίαις Φαλάνθῳ [Ἀ]|λωπεκῆθεν καὶ συνάρχουσιν σῖτον ἵπποις ΤΤΤΤ

In quatuor igitur prytaniis ex aerario equitibus pecunia impensa est, ita ut numerarentur

in prima prytania	3 talenta,	3237 drachmae,	semiobolus
in eadem		91 drachmae	$3^1/_2$ oboli
in tertia prytania	2 talenta,	5420 drachmae	
in eadem	2 talenta,	5400 drachmae	
in quarta prytania	3 talenta		
in septima	4 talenta		

efficiuntur 16 talenta, 2145 drachmae, 4 oboli.

Cetera e publicis reditibus tributa esse equitibus, Boeckhium putare, iam supra dixi. — Foedus Atheniensibus Peloponnesiaco bello anno 420 cum Argivis, Mantineensibus, Eleatis icentibus, sociorum equitibus drachmam Aegineticam (σῖτον) quotidie tribui, si diutius triginta diebus iis uti vellent, constitutum est.[1]) — Hanc pecuniam domi militiaeque equitibus datam esse vidimus; bello praeterea semper mercedem sive stipendium (μισ-

1) Thuc. V, 47, 6. . . τοῖς δὲ βοηθοῦσιν ἡ πόλις ἡ πέμπουσα παρεχέτω μέχρι τῶν τριάκοντα ἡμερῶν σῖτον, ἐπὴν ἔλθῃ ἐς τὴν πόλιν τὴν ἐπαγγείλασαν βοηθεῖν καὶ ἀπιοῦσα κατὰ ταὐτά. ἢν δὲ πλείονα βούλωνται χρόνον τῇ στρατιᾷ χρῆσθαι ἡ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη διδότω σῖτον τῷ μὲν ὁπλίτῃ καὶ ψιλῷ καὶ τοξότῃ τρεῖς ὀβολοὺς Αἰγιναίους τῆς ἡμέρας ἑκάστης, τῷ δ' ἱππεῖ δραχμὴν Αἰγιναίαν. Fragmentum tabulae, quae illud foedus continet, inventum est, sed quae ad nostram rem pertinent, desunt. Vide Hermes XII p. 368 seqq.

θόν) additum esse, non tam certo contendere velim, quam Boeckhius[1]) atque Thumserus,[2]) nam Hyperidis loco, quo ille nisus est, de equitibus in Lemno insula positis sermo fit;[3]) praeterea vocabulum *μισθός* amplius est, quam quod germanice „Löhnung" appellamus, et quamquam non pro certo habeo, dictum esse hoc loco *μισθόν* pro *σῖτον*, hoc tamen non dubitari debet, *σίτου* notionem in hoc vocabulo contineri, nam etiam *σῖτον* equitibus illis tributum esse, negare non poterimus.[4]) Locum Xenophonteum, quo *μισθοῦ* mentio fit:[5]) *δυνατοὶ δ' εἰσὶ κατὰ τὰ ἐν τῷ νόμῳ ὁπλίσαι καὶ ἄνευ τοῦ αὐτοὶ δαπανᾶν τῷ μισθῷ ἐπαναγκάζοντες κατὰ τὸν νόμον ὁπλίζεσθαι* ad mercedem non pertinere, sed referendum esse ad *κατάστασιν*, infra in medium mihi proferendum erit.[6])

Quam *κατάστασιν* aeque pecuniam esse equitibus publice datam, tradidit Harpocratio s. v. *κατάστασις*. *Λυσίας „ψηφίσασθαι δὲ τοὺς φυλάρχους ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας, ἵνα τὰς καταστάσεις ἀναπράξητε παρ' αὐτῶν." ἔοικεν ἀργύριον εἶναι, ὅπερ οἱ κατασταθέντες ἱππεῖς ἐλάμβανον ἐκ τοῦ δημοσίου ἐπὶ τῇ καταστάσει, ὥσπερ αὐτὸς ὁ ῥήτωρ ἐν τοῖς ἑξῆς ὑποσημαίνει. παρεμφαίνει τοῦτο καὶ Εὔπολις Φίλοις·*

οὐκ ἐσωφρόνησας ὦ πρεσβῦτα τὴν κατάστασιν
τήνδε λαμβάνων ἄφνω πρὶν καὶ μαθεῖν τὴν ἱππικήν.

ἔτι δὲ σαφέστερον λέγεται ἐν τῷ Σύρφακι Πλάτωνος. ἀπεδίδοτο δὲ τὸ ἀργύριον ὑπὸ τῶν ἱππευσάντων, ὅτε

---

1) Staatshaush. I² p. 353.

2) De civ. Ath. mun. p. 83.

3) Pro Lycophr. XIV. *ὑμεῖς γάρ με, ὦ ἄνδρες δικασταί, πρῶτον μὲν φύλαρχον ἐχειροτονήσατε, ἔπειτα εἰς Λῆμνον ἵππαρχον καὶ ἦρξα μὲν αὐτόθι δύ' ἔτη τῶν πώποθ' ἱππαρχηκότων μόνος, προσκατέμεινα δὲ αὐτόθι τὸν τρίτον ἐνιαυτὸν οὐ βουλόμενος πολίτας ἄνδρας ἐπὶ κεφαλὴν εἰσπράττειν τὸν μισθὸν τοῖς ἱππεῦσιν. κ. τ. λ.*

4) De huius vocabuli significatione vide infra p. 20.

5) Hipparch. I, 23.

6) Vide infra pag. 19.

ἀντ' αὐτῶν ἕτεροι καθίσταντο· ἀπῄτουν δὲ αὐτὸ οἱ φύλαρχοι. — Idem et iisdem fere verbis omisso Eupolidis comoediae nomine, Platone omnino non commemorato, Photius in lexico[1]) et Suidas s. v. *κατάστασις* narraverunt. — Harpocratio, quae tradidit de catastasi e Lysiae oratione pro Mantitheo habita didicit, quam tamen ne male intellexerit vereor. Res enim haec est: Mantitheus, cum sorte in senatum creatus esset, triginta viris imperium tenentibus eques stipendia fecisse accusatus, quod magnopere invisum erat Atheniensibus,[2]) his verbis se defendit (§ 6): *Ἔπειτα δὲ ἐκ τοῦ σανιδίου τοὺς ἱππεύσαντας σκοπεῖν εὐηθές ἐστιν· ἐν τούτῳ γὰρ πολλοὶ μὲν τῶν ὁμολογούντων ἱππεύειν οὐκ ἔνεισιν, ἔνιοι δὲ τῶν ἀποδημούντων ἐγγεγραμμένοι εἰσίν. Ἐκεῖνος δ' ἐστὶν ἔλεγχος μέγιστος· ἐπειδὴ γὰρ κατήλθετε, ἐψηφίσασθε τοὺς φυλάρχους ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας, ἵνα τὰς καταστάσεις ἀναπράξητε παρ' αὐτῶν. Ἐμὲ τοίνυν οὐδεὶς ἂν ἀποδείξειεν οὔτ' ἀπενεχθέντα ὑπὸ τῶν φυλάρχων οὔτε παραδοθέντα τοῖς συνδίκοις οὔτε κατάστασιν καταβαλόντα.* Reddi pecuniam, quae *κατάστασις* appellabatur, ab iis, qui sub trigintaviris equites fuissent, populo placuit et propterea phylarchi e sua quique tribu indices equitum illorum curare iussi sunt, cum trigintavirorum *κατάλογοι* falsi essent.[3]) Neque in illis phylarchorum indicibus nomen suum exstitisse, neque syndicis, qui de bonis publicatis iudicaverunt, se traditum, neque *κατάστασιν* reddidisse profitetur Mantitheus, ut nunquam se equitasse ostendat. Dico „reddidisse catastasin"; nam in codice apud Lysiam legitur *οὔτε κατάστασιν παραλαβόντα*, quibus in verbis recte offendit Bakius[4]) „Quum enim,

1) Hic locus deest in Naberi editione.

2) Xen. Hell. III, 1, 4. *οἱ δ' ἔπεμψαν τῶν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἱππευσάντων, νομίζοντες κέρδος τῷ δήμῳ εἰ ἀποδημοῖεν καὶ ἐναπόλοιντο.*

3) Vide Frohberger Ed. Lys. III, p. 2

4) Mnemos. VIII, p. 223 = Schol. hyp. V, p. 147.

inquit, Mantitheus enumerat indicia, e quibus conficiendum fuisset, eum non *ἱππεῦσαι* per anarchiam, apparet iustum ordinem ab eo servari, ita ut primum dicat *οὔτ' ἀπενεχθέντα ὑπὸ τῶν φυλάρχων* . . . tum *οὔτε παραδοθέντα τοῖς συνδίκοις* . . . tertium quod subiicit *οὔτε κατάστασιν παραλαβόντα* eiusmodi est, ut rem ipsam contineat, non sit argumentum, quo ea demonstretur." Postulat Bakius, ut tertio loco id posuerit Mantitheus, „quod sequi oportuisset Syndicorum cognitionem, nempe restitutio ipsius *καταστάσεως* in aerarium". Atque correxit Bakius locum, cum legeret *οὔτε κατάστασιν καταβαλόντα*, et quaerentem quid sit *καταβάλλειν* ad Demosthenem (XXIV, 96) delegavit: . . *τοὺς ἔχοντας τά τε ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια χρήματα καταβάλλειν εἰς τὸ βουλευτήριον, εἰ δὲ μὴ τὴν βουλὴν αὐτοὺς εἰσπράττειν.* — Et argumenta Bakii et ipsam coniecturam comprobo et magnopere miror, quod postea „re iterum iterumque considerata" dubitabat, num vere coniecerit.[1]) Primum quod dixit *καταβάλλειν* usurpari de iis, qui pecuniam in aerarium pendant „velut e vectigalibus aut ex devenditis iis, quae publica essent, de iis qui publice damnati essent, dici *ἀποτῖσαι*", ei hoc oppono, *καταβάλλειν* id significare, quod germanice dicimus „zahlen, bezahlen", deinde etiam de publice damnatis usurpatum esse vocabulum illud a Demosthene (XXIV, 83): *ὥστ' ἐκ τούτων ἦν ἀνάγκη τοῖς ὀφλοῦσι τὸ γεγραμμένον τ' ἐκτίνειν καὶ τὰς ἐκ τῶν νόμων παρουσίας ζημίας καταβάλλειν.* Quod deinde arbitratur Bakius, phylarchorum delationem non statim omnes indicasse, a quibus *κατάστασις* esset repetenda, atque in illis, quorum nomina phylarchi detulissent, alios fuisse, qui accepissent, alios qui non accepissent *κατάστασιν*, haec neque firmis argumentis nituntur neque omnino ad rem pertinent. Justum argumentorum ordinem deleremus, neque certum indicium

---

1) Schol. hyp. V, p. 162.

esset, Mantitheum non equitem fuisse, si verba illa restitueremus *οὔτε κατάστασιν παραλαβόντα.*

Si quaerimus, quid sit illa *κατάστασις*, hoc e Lysiae loco colligere poterimus, pecuniam illam fuisse equitibus a re publica datam, qua se instruerent atque exornarent, postquam delecti et in ordinem redacti essent, cui rei *καθιστάναι* nomen esse, e Xenophonte discimus.[1]) Atque ipsa *κατάστασις* in lexico Segueriano ita definitur:[2]) *ἡ ὑπὸ τῆς βουλῆς τῶν ἱππέων δοκιμασία κατάστασις ἐλέγετο.* Quam *δοκιμασίαν* non eandem esse atque illam, quam Xenophon (Hipparch. III, 9) commemorat, alio loco mihi in medium proferendum erit. — Reiskius pecuniam illam recte, ut mihi videtur, ita interpretatus est:[3]) „*κατάστασις* manupretium, quod militi recens allecto datur ad comparandum nonnulla expeditioni necessaria.“ Quod Larcherus[4]) atque Boeckhius in priore editione[5]) eandem esse illam pecuniam atque eam, quae alibi *σῖτος* appellatur, arbitrati sunt, Larcheri disputationi omnino multam fidem non adhibendam esse, Hermannus ostendit, atque Boeckhius in altera editione, se antea errasse, ipse confitetur.[6]) Recte enim Hermannus, nullam causam esse, ait,[7]) cur ab auctioritate veterum grammaticorum discedamus, quae et testimoniis et ipsa vocabuli origine confirmetur.[8])

Altera quaestio est, utrum *κατάστασις* quam dicunt semper tributa sit equitibus an tantum trigintaviris im-

---

1) Hipparch. I, 9. *τοὺς μὲν τοίνυν ἱππέας δῆλον ὅτι καθιστάναι δεῖ κατὰ τὸν νόμον.*

2) Bekker: Anecd. graec. I, p. 270.

3) Or. graec. VI, p. 831.

4) Mémoires de l'Acad. des inscr. XLVIII, p. 92.

5) vol. I, p. 269.

6) vol. I, p. 354.

7) De equit. att. p. 32.

8) Vide Scheibe: Die oligarch. Umwälzung zu Athen p. 145.

perium tenentibus. Rem ita se habere, ut non nisi sub trigintaviris data sit κατάστασις, Bakius ostendere conatus est,[1]) qui hisce potissimum nititur rebus. „Si perpetui," inquit, „moris fuisset, primum quid opus erat peculiari psephismate, quo κατάστασις repeti iuberetur?" In hac re Bakio adsentior, nam cum dicat Harpocratio et, qui eum secuti sunt, Photius et Suidas: ἀπεδίδοτο δὲ τὸ ἀργύριον ὑπὸ τῶν ἱππευσάντων, ὅτε ἀντὶ αὐτῶν ἕτεροι καθίσταντο· ἀπῄτουν δὲ οἱ φύλαρχοι, quod semel factum esse Lysias narrat, semper moris fuisse, arbitrantur grammatici, quae etiam Pastoreti opinio erat.[2]) Omnino aliis temporibus κατάστασιν non repetitam esse, mihi persuasum est, nam, quaerimus, cur tum eam dari opus erat? Ne id quidem Hermanno concedo, pecuniam illam equitibus non tam donatam, quam commodatam esse ita ut, si ante legitimum tempus militiam deseruissent, eam aerario publico restituerent, nam etiam huius rei, quae causa fuerit, non satis intellego. Lysiae vero locum, ut iam supra dixi, male intellexisse Harpocrationem arbitror. Alia, quae Bakius ad defendendam suam sententiam protulit, haec sunt: tam odiosum esse putat, pecuniam ab equitibus anarchiae repetere, „ut restitutae concordiae vehementer adversaretur." Cum enim maior pars locupletiorum illo tempore vel periisset vel urbe cessisset, trigintaviros magnum numerum tenuiorum in equitum catalogum referre coactos esse, quibus pecuniam ex aerario praestitissent. Quibus argumentis Sauppius in Philologi volumine XV haec fere opposuit: primum quod ad restitutam concordiam attinet, ipse commemoravit Bakius syndicos, quibus quae singuli cives rei publicae debebant, repetere officium erat. Deinde si singulare

---

1) Mnemos. VIII p. 219 = Schol. hyp. V p. 140.

2) Histoire de la législation VII p. 292: Le trésor public fournissait aux cavaliers de quoi avoir et harnacher un cheval; mais quand ils quittaient le service, ils en restituaient le prix.

quid esset, non τὰς καταστάσεις sed τὰς λεγομένας καταστάσεις Lysias dicere debuisse Sauppio videtur, quod tamen argumentum nullius fere momenti esse existimo. Cum vero in Eupolidis, quae Φίλοι appellatur comoedia, cuius versus huc spectantes profert Harpocratio, mentio fiat καταστάσεως, et Sauppius et antea iam Boeckhius constanter datam esse equitibus hanc pecuniam opinati sunt, quamquam nec quamdiu vixerit Eupolis, nec quo tempore acta sit eius Amici, certe definire licet.[1]) Sed vivi Eupolidis post annum 412 vestigia non exstare videntur.[2])

Attamen καταστάσεως constanter tributae etiam aliud, ut mihi videtur, firmum testimonium exstare arbitror. Huc enim, ut iam supra dixi,[3]) Xenophontis verba (Hipparch. I, 23) referre posse mihi videor: δυνατοὶ δ' εἰσὶ κατὰ τὰ ἐν τῷ νόμῳ ὁπλίσαι καὶ ἄνευ τοῦ αὐτοὶ δαπανᾶν τῷ μισθῷ ἐπαναγκάζοντες κατὰ τὸν νόμον ὁπλίζεσθαι. Cum vero drachmam quotidie singulis equitibus praebitam esse viderimus, hoc stipendio quotidie dato equites se ipsos atque equos exornasse vel exornare potuisse, cogitari non potest, et cum ἄνευ τοῦ αὐτοὶ δαπανᾶν instrui eos potuisse, Xenophon dicat, verba τῷ μισθῷ hoc loco non modo stipendium quotidie datum sed omnem pecuniam equitibus a republica tributam significare ne-

1) Quae Wilamowitzius (Obs. crit. in com. graec. p. 47 seqq.) protulit, ut actam esse Eupolidis Amicos Dionysiis anni 425 demonstraret, quamquam speciem aliquam veri habent, tamen non tam certa sunt, ut firmum argumentum praebeant, quo nisus iam ante trigintaviros datam esse catastasin, contendere possim. Quae Kockius coniecit (Com. att. fragm. I p. 331), in hoc Eupolidis fragmento pro τήνδε scribendum esse τῇσδε, propterea refutanda mihi videntur esse, quod, etiamsi retineamus traditam lectionem, tamen de illa arte equestri cogitari potest, „quam Athenienses verbo κελητίζειν significabant."

2) Meineke Frag. com. graec. I p. 106.

3) Pag. 14.

cesse est, h. e. et *σῖτον* et *κατάστασιν*, atque Xenophontis aetate *κατάστασιν* tributam esse equitibus, negare non poterimus. Bakio, qui ad probandam contrariam opinionem hoc loco Xenophonteo usus est et „si *κατάστασις*, inquit,[1]) usurpata fuisset, hoc postremo quidem loco non *τῷ μισθῷ*, sed *τῇ καταστάσει ἐπαναγκάζειν* dixisset", hoc oppono: primum pecunia quotidiana se instruere et equos scilicet non poterant equites, deinde verba *τῷ μισθῷ* hoc loco non pro *τῇ καταστάσει* usurpata sunt a Xenophonte, sed omnino pecunias valent publice datas, quibus tamen in pecuniis etiam *κατάστασις* continetur. Itaque quin non tantum sub trigintaviris, verum etiam aliis temporibus equitibus Atheniensibus, ut dixit Reiskius „recens allectis" pecunia sive manupretium, quo se instruerent, datum sit, non dubitari debet.

III.

De equitum delectu et de magistratibus equestribus.

Mille cives *καὶ χρήμασι καὶ σώμασι δυνατωτάτους* electos esse, ut equites mererent, iam supra vidimus. Sed aliquot accedere ad illos mille necesse videbatur, ut numerus lege praeceptus compleretur. Nam propter senectutem alios, alios aliis de causis defecturos esse, Xenophon ait[2]) et semper ita pauciores esse. Quae cum ita sint, diuturnum fuisse stipendium equestre videtur, nam aperte Xenophon *γήρᾳ ἀπαγορεύοντας* commemorat atque de equitibus aetate provectioribus etiam alibi loquitur,[3]) quae *ἱπποτροφίας* diuturnitas Hyperidis quo-

---

1) Schol. hyp. V p. 161.

2) Hipparch. I, 2: . . *εἰ δὲ μὴ προσαναβήσονται ἱππεῖς μείονες ἀεὶ ἔσονται· ἀνάγκη γὰρ τοὺς μὲν γήρᾳ ἀπαγορεύειν τοὺς δὲ καὶ ἄλλως ἐκλείπειν.*

3) *Τούς γε μὴν πρεσβυτέρους τὸν Περσικὸν τρόπον ἀναβάλλεσθαι ὑπ᾽ ἄλλων προσεθίσας, καὶ τούτους ὠφελήσαις ἄν.* (Hipparch. I, 17.)

que loco quodam confirmatur.[1]) Quare quamquam et hipparchorum et senatus annuam fuisse potestatem, atque „quotannis ab integro et delectum et probationem equitum institui oportuisse“, Hermanno[2]) concedendum est, novum tamen equitatum ex iis plerumque compositum esse necesse est, qui iam antea militaverant. Alternis annis eosdem cives ad equitandum lectos esse, id quod ad alias liturgias praestandas fieri solebat,[3]) non cogitandum est, cum *τὸν ἅπαντα χρόνον* dicat Lycophro apud Hyperidem. — Quo iure Sauppius[4]) ex hisce Aristophanis versibus[5])

ἤν ποτ᾽ εἰρήνη γένηται καὶ πόνων παυσώμεθα
μὴ φθονεῖθ᾽ ἡμῖν κομῶσι μηδ᾽ ἀπεστλεγγισμένοις

non quotannis ab integro delectum esse equitatum, concludere sibi videatur, equidem intellegere non possum.

Equites deligere penes hipparchos erat,[6]) quos duo Athenis fuisse et *χειροτονίᾳ* electos esse legimus,[7]) qui-

---

1) Pro Lycophr. XIII. . . . *ἱπποτροφῶν δὲ διατετέληκα φι οτίμως τὸν ἅπαντα χρόνον παρὰ δύναμιν καὶ ὑπὲρ τὴν οὐσίαν τὴν ἐμαυτοῦ.*

2) De equit. pag. 34.

3) Demosth. XX, 8. . . *ἐνιαυτὸν διαλιπὼν ἕκαστος λειτουργεῖ ὥστε τὸ ἥμισύ ἐστ᾽ ἀτελὴς τοῦ χρόνου.* Vide Hermann l l. p. 34.

4) Philologus XV, pag. 73.

5) Equit. 582 sqq.

6) Xen. Hipparch. I, 2: *θεῶν δ᾽ ἵλεων ὄντων ἀναβιβαστέον μέν σοι ἱππέας, καὶ ὅπως ἀναπληρῶται ὁ κατὰ τὸν νόμον ἀριθμὸς καὶ ὅπως τό ὂν ἱππικὸν μὴ μειῶται.*

7) Demosth. IV, 26. *οὐκ ἐχειροτονεῖτε δὲ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα ταξιάρχους καὶ στρατηγοὺς καὶ φυλάρχους καὶ ἱππάρχους δύο;* — Aeschin. Ctesiph. 13: . . . *ἃς ὁ δῆμος εἴωθε χειροτονεῖν ἐν ἀρχαιρεσίαις στρατηγοὺς καὶ ἱππάρχους καὶ τὰς μετὰ τούτων ἀρχάς κ. τ. λ.* — Schol. Aristoph. Equit. 242 *ἵππαρχοι δὲ ὁ Σίμων καὶ ὁ Παναίτιος.* — Pollux VIII, 87. . . . *καὶ στρατηγοὺς χειροτονεῖν ἐξ ἁπάντων . . . . καὶ ἱππάρχους δύο καὶ φυλάρχους δέκα καὶ ταξιάρχους δέκα* . . . . ibid. 94: *ἵππαρχοι δὲ δύο ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων αἱρεθέντες ἐπιμελοῦνται τῶν πολέμων.* Schneiderus (ad *Ἀθην. Πολιτ.* I, 2) de memoria Pollucis locum attulisse videtur, cum sorte illos magistratus creatos esse

que quinis tribubus praefuisse videntur.[1]) Hipparchum eum tantum creari potuisse, qui militiae equestri idoneus esset, Hermanno[2]) scilicet concedendum erit, cum vero ipsum hipparchum iam antea equitem fuisse oportere, contenderet, quamquam plerumque rem ita se habuisse consentaneum est, lex illa, quam ex Syriano rhetore attulit Meursius[3]), quaque nisus est Hermannus, ad strategos tantum spectari videtur, non ad hipparchos; atque strategos quoque creatos esse interdum, quin antea militassent, hic locus Xenophonteus[4]) docet: *Ἀντισθένη δὲ, ἔφη, εἵλοντο τὸν οὔτε ὁπλίτην πω στρατευσάμενον ἔν τε τοῖς ἱππεῦσιν οὐδὲν περίβλεπτον ποιήσαντα, ἐπιστάμενόν τε ἄλλο οὐδὲν ἢ χρήματα συλλέγειν.* — Hipparchi in insulas nonnullas interdum mittebantur, id quod de Lemno insula certe traditum est[5]) Etiam leges aliquas ferre equitatui hipparchis licuisse videtur,[6]) quae tamen

---

contenderet, quem tamen lapsum et G. A. Sauppius et L. Dindorfius in editionibus Xenophontis opusculorum corrigere debuerunt. — Vide etiam Bekker. Anecd. I, p. 266.

1) Photius lex. s. v. *ἵππαρχοι· δύο ἦσαν, οἳ τῶν ἱππέων διελόμενοι τὰς φυλὰς ἑκάτερος ἀνὰ πέντε.* — Vide Hermann de Equit. pag. 20.

2) De Equit p. 41.

3) Themis attica I, 11. *Νόμος τὸν ἀστράτευτον μὴ στρατηγεῖν.*

4) Memorab. III, 4. 1.

5) Hyperid. Lycophr. XIV. . . *ἔπειτα εἰς Λῆμνον ἵππαρχον καὶ ἦρξα μὲν αὐτόθι δύ' ἔτη τῶν πώποθ' ἱππαρχηκότων μόνος κ. τ. λ.* — Demosth. IV, 27. — *ἀλλ' εἰς μὲν Λῆμνον τὸν παρ' ὑμῶν ἵππαρχον δεῖ πλεῖν, τῶν δ' ὑπὲρ τῶν τῆς πόλεως κτημάτων ἀγωνιζομένων Μενέλαον ἱππαρχεῖν*; C. Inscr. Att. II, 593: . . *ἐπὶ δὲ Λήμνου στρ[ατηγ]οῦντος Φιλαρχίδου Παιανιέως, ἱππαρχοῦντος δὲ τὸ δεύ||[τερον Τ]ελεσιδήμου τοῦ Ἀμ[ν]ίου Ἑκαλῆθεν.* — Vide etiam C. I. A. II, 595 — Meinhold: De rebus Salaminiis pag. 28. — Schoemann: Griechische Alterth. I³, p. 451. U. Koehler: Mitth. d. deutsch. arch. Instit. zu Athen I, p. 265; IV. p. 256.

6) Demosth. XXI, 173. *ἵππαρχος δὲ χειροτονηθεὶς λελύμανται τὸ ἱππικὸν ὑμῶν, τοιούτους θεὶς νόμους, οὓς πάλιν αὐτὸς ἔξαρνος ἦν μὴ τεθεικέναι.*

quo spectaverint, satis eruere non possumus. Sed quod Gilbertus contendit,[1]) etiam singulos equites probare, hipparchis officium fuisse, hoc argumentis omnino carere, contra has probationes non nisi penes senatum fuisse, infra mihi in medium proferendum erit. Denique ex Hyperidis loco modo allato eundem hominem per complures annos hipparchi munere perfungi potuisse videmus. Hipparchis igitur officium erat, equites deligere atque exercitationibus equestribus praeesse, quae quomodo optime fiant, Xenophon illo libro enarravit, quem ad informandum magistrum equitum scripsit, cui libro nomen est *Ἱππαρχικός*. Sed cum haec difficiliora quam pro hisce duobus hominibus viderentur esse rei publicae Atheniensium, adiutores iis dati sunt decem phylarchi,[2]) qui centenis praeerant equitibus e singulis tribubus delectis. Phylarchi etiam e singulis tribubus creati esse videntur, si fides adhibenda est Polluci, qui (VIII, 94) *οἱ δὲ φύλαρχοι δέκα*, inquit, *εἷς ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης, τῶν ἱππέων προΐστανται, καθάπερ οἱ ταξίαρχοι τῶν ὁπλιτῶν.*[3]) Titulus sepulcralis (C. I. A. I, 447), in quo inter mortuos commemoratur etiam phylarchus quidam, ad hanc quaestionem solvendam nihil adiuvat.[4]) Ut hipparchi in

1) Handb. d. griech. Staatsalterth I, p. 307.

2) Xen. Hipparch. I, 8. *ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ πόλις χαλεπὸν ἡγησαμένη ταῦτα πάντα τὸν ἵππαρχον μόνον ὄντα κατεργάζεσθαι, προσαιρεῖται μὲν αὐτῷ συνεργοὺς φυλάρχους.*

3) Strategos *ἐξ ἁπάντων* creatos esse tradidit Pollux VIII, 87, cui tamen, quod Plutarchus (vit. Cimonis VIII) narravit, opponendum est: *ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατήγων προελθὼν . . . . . . οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν ἀλλ' ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρῖναι δέκα ὄντας, ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον.* — Vide de hac re: Hermann, Griech. Staatsalt. § 152 not. 3. — Kubicki: De mag. X, strateg. a Clisthene instit. p. 38 sqq. — R. Fischer, Quaestionum de praetor. att. V et IV, saecul. a. Ch. n. spec. p. 17.

4) C. J. A. I, 433. = C. J. G. I, 165 exstantibus litteris *Φ . . . . . ΧΟΣ* cum Kirchhoffio *Φρύνιχος* legendum erit, non *φύλαρχος.*

expeditionibus sive exercitationibus equestribus quinis, ita phylarchi singulis tribubus preeerant.[1]) Quos Lysias (XII, 44) commemorat phylarchos (φυλάρχους enim non φρουράρχους legendum erit), illi ad equitatum omnino non spectant.[2]) Praeter hipparchos et phylarchos etiam decadarchi atque pempadarchi a Xenophonte commemorantur,[3]) quos de suo arbitrio ex equitibus eligere phylarchis licebat, qua tamen in re, utrum re vera electi sint, an ut eligerentur, postulaverit tantum Xenophon, diiudicare non possumus.

Qui eligendi erant equites, eorum nomina albis tabulis inscribebantur et publice proponebantur. Quae tabulae *σανίδες* sive *σανίδια* appellabantur, et quod Hesychius s. v. *σανίς· λεύκωμα,* inquit, *ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Ἀθήνησιν ἐγράφοντο πρὸς τοὺς κακούργους κ. τ. λ.*, haec non ex omni parte ita se habere mihi videntur, nam etiam trigintaviros tabulas tales collocasse, quibus equitum nomina inscripta essent, Lysias docet,[4]) idemque Athenis solitum esse fieri, nostro iure colligere poterimus, cum etiam Syracusis nomina militum deligendorum hisce tabulis inscripta esse, traditum sit.[5]) In ipsis eligendis equitibus quomodo versati sint hipparchi, Xenophon (Hipparch. I, 9) docet: *Τοὺς μὲν τοίνυν ἱππέας δῆλον ὅτι καθιστάναι δεῖ κατὰ τὸν νόμον τοὺς δυνατωτάτους καὶ χρήμασι καὶ σώμασιν, ἢ εἰσάγοντα εἰς δικαστήριον ἢ*

1) Vide supra p. 22 not. 1 atque Pollucis locum, quem attuli p. 23.

2) Vide, Rauchenstein ad h. l. et p. 255 ed. Lys.

3) Hipparch. II, 2. *τούτων δ' ἐγώ φημι χρῆναι πρῶτον μὲν δεκαδάρχους σὺν τῇ τῶν φυλάρχων γνώμῃ καταστῆσαι ἐκ τῶν ἀκμαζόντων τε καὶ φιλοτιμουμένων καλόν τι ποιεῖν καὶ ἀκούειν. καὶ τούτους μὲν προστάτας δεῖ εἶναι.* IV, 9 *ἀγαθὸν οὖν καὶ πρὸς τῷ διὰ παραγγέλσεως ἐξάγειν τὸ δεκαδάρχους καθίστασθαι καὶ τοῖς δεκαδάρχοις πεμπαδάρχους ἵν' ὡς ἐλαχίστοις ἕκαστος παραγγέλλῃ.*

4) XVI, 6. *ἔπειτα δὲ ἐκ τοῦ σανιδίου τοὺς ἱππεύσαντας σκοπεῖν εὐηθές ἐστιν. κ. τ. λ.* Vide Frohberger Ed. Lys. III, p. 2.

5) Plut. vit. Niciae. 14.

πείθοντα. In ius igitur vocabat hipparchus aut persuadendo commovebat, quos cives equitatui idoneos esse putabat. In hac re ab Hermanno[1]) dissentio, cui Xenophontis verba *ἢ εἰσάγοντα εἰς δικαστήριον ἢ πείθοντα* „clare ostendere videntur, ad persuasionem ita tantum ventum esse, ubi iure agi non posset .... et *διαδικασίαν* quae dicebatur institutam esse, ut quicunque ab hipparchis inter equites lectus esset, si quem alium potius quam se facultatibus vel alia de causa ei muneri magis idoneum esse existimaret, iure cum illo contenderet, sin minus, rite et legitime lectus haberetur“.[2]) Recte Sauppius Hermanno opposuit,[3]) ad iurisdictionem ventum esse, ubi non necesse esset, incredibite esse; atque interdum non necesse fuisse, e verbis *ἢ πείθοντα* videmus. Fuit fortasse etiam equitibus illa *διαδικασία*, sed eos tantum ad illam missos esse cogitandum est, quos persuadendo hipparchus ut equitarent, commovere non posset, quique alios magis idoneos esse praetenderent. Atque cum pergat Xenophon (§ 10): *ἐγὼ δὲ οἶμαι εἰς μὲν τὸ δικαστήριον τούτους εἰσακτέον εἶναι, οὓς μὴ εἰσάγων ἄν τις διὰ κέρδος δοκοίη τοῦτο ποιεῖν· καὶ γὰρ τοῖς ἧττον δυναμένοις εὐθὺς ἂν εἴη ἀποστροφή, εἰ μὴ τοὺς δυνατωτάτους πρώτους ἀναγκάζοις,*[4]) haec verba ita intellego, ut e numero eorum, qui equitare recusent, in ius vocandos esse eos potissimum, qui maxime valeant,

---

1) De Equit. p. 22.

2) Lex. Segu. ap. Bekkerum Anecd. graec I. p. 236: *Διαδικασία: οὐχ ἁπλῶς πᾶσα δίκη διαδικασία καλεῖται, ἀλλ' ἐν αἷς περί τινος ἀμφισβήτησίς ἐστιν, ὅτῳ προσήκει μᾶλλον.*

3) Philol. XV. p. 71.

4) Vocabulum *μὴ* a libris manuscriptis omissum restituit Camerarius, sed nescio an huic emendationi praerferendum sit, quod Curerius coniecit, qui *εὐθὺς οὐκ ἂν εἴη* scribi voluit. Hermannus (l. l. p. 23) *οὐδαμῶς ἂν εἴη ἀποστροφή* scribendum esse coniecit, attamen *μὴ* propterea a librariis omissum esse putavit, „quia opulentissimis adactis, liberari pauperes videbantur.“

ne minus valentibus excusatio sit, quosque qui non vocent, corrupti esse videantur, Xenophon dicat. Atque si respicio sequentia verba (§ 11) *ἔτι δὲ καὶ οὕτως ἄν μοι δοκεῖ τις νέους μὲν τὰ ἐν ἱππικῇ λαμπρὰ λέγων εἰς ἐπιθυμίαν καθιστάναι τοῦ ἱππεύειν, τοὺς δὲ κυρίους αὐτῶν ἧττον ἀντιτείνοντας ἔχειν, τάδε διδάσκων, ὡς ἀναγκασθήσονται μὲν ἱπποτροφεῖν ἢν μὴ ὑπὸ σοῦ, ὑπ' ἄλλου διὰ τὰ χρήματα*, Xenophon nihil dicere mihi videtur, nisi conandum esse hipparcho persuadere et adulescentibus ipsis, ut equites fiant, et parentibus sive tutoribus, ne illos equitando arceant, sin recusent, a se vel ab alio quodam eos coactum iri, ostendendum; *ἀναγκάζειν* hoc loco idem significat, quod antea dixerat Xenophon *εἰς δικαστήριον εἰσάγειν*, quod ad eos tantum referendum esse apparet, quibus ut equitarent, persuadere hipparchus non potuit. Atque tutores sive parentes (*κυρίους*) facillime hipparchum commovere posse, Xenophon ait,[1]) si ab insanis equorum emptionibus se iuvenes prohibiturum esse profiteatur.

Qui equites merere iussi vel omnino equitando se abstinebant vel equitatum deseruerunt *ἀστρατείας*, qui ad aliud militandi genus transierunt, *λιποταξίου* accusati sunt atque *ἀτιμίας* poenam commiserunt,[2]) quod ita iam a Solone institutum esse traditum est.[3])

---

1) Hipparch. I, 12: *ἢν δὲ ἐπὶ σοῦ ἀναβῶσιν ὡς ἀποστρέψεις μὲν τοὺς παῖδας [αὐτῶν] τῶν πολυτελῶν τε καὶ μανικῶν ἱππωνιῶν, ἐπιμελήσει δὲ ὡς ἂν ταχὺ ἱππικοὶ γίγνοιντο.* Hoc loco verbum *αὐτῶν* post *παῖδας* delendum esse, quia non nisi ad *νέοι* (§ 11) referri possit, probavit Ruehlius. Zeitschr. f. oestr. Gymn. 1880 p. 402.

2) De hac re optime disseruit Frohberger Ed. Lys. II p. 1 seqq.

3) Aeschin. Ctesiph. 175: *ὁ γὰρ Σόλων ὁ παλαιὸς νομοθέτης ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐπιτιμίοις ᾤετο δεῖν ἐνέχεσθαι τὸν ἀστράτευτον καὶ τὸν λελοιπότα τὴν τάξιν καὶ τὸν δειλὸν ὁμοίως . . . .* 176: *ὁ μὲν τοίνυν νομοθέτης τὸν ἀστράτευτον καὶ τὸν δειλὸν καὶ τὸν λιπόντα τὴν τάξιν ἔξω τῶν περιρραντηρίων τῆς ἀγορᾶς ἐξείργει, καὶ οὐκ ἐᾷ στεφανοῦσθαι οὐδ' εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ.* Vide Frohberger l. l.

Denique ut, quae dixi, paucis complectar, primum hipparchi, quos idoneos esse arbitrabantur, eligebant[1]) nominaque eorum in medium proferebant, deinde, ubi fieri poterat, persuadendo delectos commovebant, ut equitarent, ubi non poterat, legibus cogebant.

IV.

De equitum probationibus.

Senatus equites atticos custodiebat eosque ipsos atque equos probabat.[2]) Quam probationem (*δοκιμασίαν*) duplicem fuisse, iam supra dixi.[3]) Singuli enim equites, priusquam in ordinem redacti sunt atque catastasin acceperunt, probationem senatus et ipsi et equi subire debebant, quare in lexici Segueriani loco supra laudato probatio illa *κατάστασις* appellatur. Alterum *δοκιμασίας* genus non ad singulos equites, sed ad totum equitatum pertinebat. Qui *ἀδοκίμαστος* inter equites mereret, eum capitis diminutionem pati, *ἄτιμον* esse, leges iubebant.[4]) Non censoriam hanc equitum probationem, ut apud Romanos, sed militarem tantum fuisse, recte Hermannns admonet,[5]) sed duo illa probationum genera hoc loco confundit, quod iam Sauppius vituperavit.[6]) Et in hac

---

1) Lys. XVI, 13: *ὑπ' Ὀρθοβούλου κοτειλεγμένος ἱππεύειν.*

2) Xenoph. Hipparch. I, 8. *ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ πόλις . . . . προσέταξε δὲ τῇ βουλῇ συνεπιμέλεσθαι τοῦ ἱππικοῦ κ. τ. λ.* vide etiam § 13 — Oecon. IX, 15. *νομίσαι οὖν ἐκέλευον . . . . ὥσπερ ἡ βουλὴ ἵππους καὶ ἱππέας δοκιμάζει.* — Harpocrat. s. v. *Δοκιμασθείς· Λυκοῦργος ἐν τῇ περὶ τῆς διοικήσεως γ' δοκιμασίαι κατὰ τὸν νόμον, φησί, γίγνονται . . . . λέγει μέντοι ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ καὶ ἱππέων δοκιμασίαν.* — Vide Boeckh. Staatshaush. d. Ath. I² p. 352. Koerte: Archaeol. Zeitung 1880 p. 177 seqq.

3) Pag 17.

4) Lysias XIV, 8. . . *ὅτι τοῦ νόμου κελεύοντος, ἐάν τις ἀδοκίμαστος ἱππεύῃ ἄτιμον εἶναι. κ. τ. λ.*

5) De equ att. p. 28.

6) Philologus XV p. 71.

quoque re Sauppius contradicentem habet Bakium, qui (Schol. hyp. V p. 170) „Sed quid esse poterat," inquit, „quod in illa priore scilicet *δοκιμασίᾳ* requirere posset senatus et diiudicare? Singulorum designatio erat Hipparchi, qui *κατὰ νόμον* eos in catalogum referebat, qui et opibus et corporis viribus maxime valerent, neque eius delectus correctio erat penes Senatum, sed penes tribunal, unde novimus eum, qui quacumque excusatione uti vellet, potuisse *εἰσάγεσθαι εἰς δικαστήριον.*" Bakius delectum equitum et probationem hoc loco confundere mihi videtur, concedendum enim erit, non idem esse designare equites ac probare sive diiudicare, utrum idonei sint equitatui an non. Prior illa *δοκιμασία* certe correctio erat hipparchorum, qui in eligendis equitibus errare poterant, tales ad equitandum designantes cives, quales postea senatui non videbantur idonei esse. Illud *εἰσάγεσθαι εἰς δικαστήριον,* quod Bakius affert, ad eos tantum pertinere apparet, quos designasset hipparchus, ut equitarent, quique, ut recte ait Bakius, quacunque excusatione uti vellent, ut equitando se abstinerent. *Δοκιμασία* senatus ad eos potius referenda est, quos ut equites fierent, iam commovit hipparchus sive persuadendo sive *εἰσάγων εἰς δικαστήριον,* qui tamen minus idonei interdum iniuria ab hipparcho vocati sunt, vel ipsi equitatus splendore inducti equitare cupiebant, vel aliis de causis equites fieri conabantur. Rem ita se habere, lex illa ostendit supra e Lysia allata *ἐάν τις ἀδοκίμαστος ἱππεύῃ ἄτιμον εἶναι,* quam protulit Lysias legem, ut Alcibiadem bello anno 395 suscepto *ἀδοκίμαστον* inter equites meruisse, quia minus periculosum videretur hoc militandi genus, ostenderet. Idemque docent Lysiae verba (XVI, 13) *ἑτέρων ἀναβάντων ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀδοκιμάστων παρὰ τὸν νόμον.* Has probationes non easdem esse atque illas totius equitatus *δοκιμασίας* (*ἐπιδείξεις*), quas Xenophon (Hipparch. III, 9 seqq.) commemorat et de

quibus infra mihi decendum erit, res ipsae clare videntur mihi ostendere.[1])

De utroque probationum genere Koertius in ephemeridis archaeologicae volumine XXXVIII pag. 177 seqq. amplius disseruit.

Singulnrum equitum equorumque probationes non penes totum senatum, sed penes nonnullos arbitros ex illo electos fuisse Koertius contendit, quod re ipsa non incredibile est, quamquam certo scire non possumus, utrum arbitri illi de suo arbitrio, qui idonei sint equitatui homines atque equi, decernere potuerint, an si quid dubium fuerit, toti senatui renuntiaverint. Quorum arbitrorum quantus fuerit numerus, non satis disceptari licet, nam *τριηροποιῶν* comparatio, qui singuli e singulis phylis creabantur,[2]) ad definiendum numerum nihil adiuvat. Pateram quandam prope ad oppidum, cui nomen est Orvieto, inventam Koertius l. l. tractavit,[3]) in qua quae expressa sunt ad equitum atticorum *δοκιμασίαν* referenda esse probavit. Duo enim barbatos homines videmus sceptra ferentes, quibus tres iuvenes equos inspiciendos admovent. Quartum quem videmus iuvenem baculum manibus tenentem, hipparchum esse, Koertius opinatur, neque quid ei opponam habeo. Quod Gilbertus barbatos illos homines hipparchos, iuvenem phylarchum fuisse arbitratur,[4]) hoc ei rei tribuendum est, quod equos probare

1) Magnopere miror, quod etiam Frohbergerus, qui optime res ad Alcibiadis accusationem spectantes enaravit, duplicem tamen *δοκιμασίαν* non cogitandam esse putat (Ed. Lys. II pag. 5 not. 59).

2) Aeschin. Ctesiph. 30. *τοῦτο δὲ γίγνεται, ὅταν, ὥσπερ νῦν, ἐπιταχθῇ τι ταῖς φυλαῖς, ἢ τάφρους ἐξεργάζεσθαι ἢ τριήρεις ναυπηγεῖσθαι.* Vide Boeckh. Staatshaush. I p. 351. — Koerte l. l.

3) Negligenter factam esse imaginem illius paterae et hominum equorumque corpora docent et equorum incessus, quem germanice „Pass“ dicimus, quo de incessu vide: Schlieben, Die Pferde des Alterthums. p. 182. — Koerte l. l.

4) Handb. d. griech. Staatsalterth. I p. 307.

ac, si minus viderentur idonei, excludere non senatus sed hipparchorum officium fuisse existimat; perperam vero ut mihi videtur; neque enim Xenophontis[1]) neque Photii[2]) quos attulit loci hipparchorum probationes clare ostendunt. Apud Xenophontem iuvenis *ἱππαρχίᾳ* studens Socrati quaerenti nihil nisi se curam equis adhibiturum esse respondet: *καὶ πειράσομαι*, inquit, *τῶν ἵππων εἰς τὸ δυνατὸν ἐπιμέλεσθαι*, atque Photius *ἀπολεγόντων αὐτοὺς* (sc. *ἵππους*) *τῶν στρατηγῶν* dixit, de hipparchis hoc loco omnino non locutus est. Ac si respicimus, quae alio loco aperte dixit Xenophon (Hipparch. I, 13): *τούς γε μὴν ὄντας ἱππέας ἡ βουλὴ ἄν μοι δοκεῖ προειποῦσα ὡς τὸ λοιπὸν δεήσει διπλάσια ἱππάζεσθαι καὶ ὡς τὸν μὴ δυνάμενον ἵππον ἀκολουθεῖν ἀποδοκιμάσει, ἐπιτεῖναι ἂν τρέφειν τε ἄμεινον καὶ ἐπιμελεῖσθαι μᾶλλον τῶν ἵππων. καὶ τοὺς βιαίους ἀγαθόν μοι δοκεῖ εἶναι προρρηθῆναι ὅτι ἀποδοκιμασθήσονται*, equorum quoque probationem atque exclusionem penes senatum fuisse, negare non poterimus, praesertim cum exercitationum quoque equestrium cura apud illum fuisse videamus, quod quidem in verbis *ὡς τὸ λοιπὸν δεήσει διπλάσια ἱππάζεσθαι* inesse mihi videtur.

Equi ad equitandum non satis apti excludebantur, atque ne denuo ab equitibus emerentur, maxillis signum rotundum inurebatur, cui nomen est *τρυσίππιον* sive *τρυσίππειον*.[3]) Quod attinet ad equos ut ita dicam re-

---

1) Memor. III, 3, 4 seqq. *Ἐὰν οὖν, ἔφη ὁ Σωκράτης, παρέχωνταί σοι τοὺς ἵππους οἱ μὲν οὕτω κακόποδας ἢ κακοσκελεῖς ἢ ἀσθενεῖς, οἱ δὲ οὕτως ἀτρόφους, ὥστε μὴ δύνασθαι ἀκολουθεῖν, οἱ δὲ οὕτως ἀναγώγους, ὥστε μὴ μένειν ὅπου ἂν σὺ τάξῃς, οἱ δὲ οὕτω λακτιστὰς ὥστε μὴ τάξαι δυνατὸν εἶναι, τί σοι τοῦ ἱππικοῦ ὄφελος ἔσται; ἢ πῶς δυνήσαι τοιούτων ἡγούμενος ἀγαθόν τι ποιῆσαι. κ. τ. λ.*

2) Lex. s. v. *Ἱππότροχος · τὸ τρυσίππιον διὰ τὸ τοῖς διὰ γῆρας ἐκτρυχωθεῖσιν ἵπποις ἐκτυποῦσθαι τροχὸν ἀπολεγόντων αὐτοὺς τῶν στρατηγῶν.*

3) Hesychius s. v. *Τρυσίππιον · τὸν χαρακτῆρα τὸν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἐν ταῖς δοκιμασίαις τοῖς ἀδυνάτοις καὶ τετρυμένοις ἵπποις ἐπι–*

calcitrantes (*λακτίζοντας*), quos Xenophon (Hipparch. I, 15. Memor. III, 3, 4) commemorat, hos in equitum recensionibus a senatu exclusos esse arbitror, cum *τοὺς ἐν ἱππασίαις λακτίζοντας ἵππους* dicat Xenophon, h. e. in equitum exercitationibus reluctantes, de quibus iudicium non penes illos arbitros sed penes totum senatum videtur fuisse. Quo de genere probationum Lycurgus locutus sit,[1]) disceptari non possumus.

De recensionibus, quos habebat senatus, quae scimus, non ita multa sunt. Loca quibus fieri solebant, Xenophon commemorat Academiam, Lyceum, Phalerum, Hippodromum.[2]) Quoniam Hippodromus in Phalero situs sit aut verba *καὶ τὰ Φαληροῖ* delenda esse aut sequens

βαλλόμενον, ἵνα μηκέτι στρατεύωνται, τὸ παλαιὸν ἐκάλουν πρυσίππιον. τροχὸς δὲ ἦν ὁ ἐπιβαλλόμενος χαρακτὴρ τῇ γνάθῳ τῶν ἵππων. Item equos propter vetustatem non iam idoneos significatos esse, vide Pollux VII, 186: *τὸ μέντοι τοῖς ἀπηγορευκόσι τῶν ἵππων ἐπιβαλλόμενον σημεῖον τρυσίππειον ἐκαλεῖτο.* Photius l. l. — Hesychius s. v. *Ἵππου τροχός· τοῖς γεγηρακόσιν ἵπποις ἐχάραττον ἐπὶ τὴν γνάθον σημεῖον τροχοῦ σχῆμα ἔχον· ἐκαλεῖτο δὲ καὶ τρυσίππιον.* Suidas s. v. *Ἵππῳ· ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβαλλε· ἐπὶ τῶν διὰ γῆρας δεομένων ῥαστώνης τινὸς καὶ ἀναπαύλης.* Etym. magn. *Τρυσίππειον· Ἔγκαυμα ἵππου γεγηρακότος ἐπὶ τῆς γνάθου τροχῷ ὅμοιον. Οὕτως Εὔπολις Ῥητορική.* Eustathius Od. δ, 762. . . . *ἢ κατὰ Αἴλιον Διονύσιον τρυσίππειον τετρασυλλάβως, ἔγκαυμα ἵππου γεγηρακότος ἐπὶ τῆς γνάθου ὅμοιον τροχῷ κ. τ. λ.* Zenobius IV, 41: „*Ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβαλλε· ταύτης μέμνηται Κράτης ὁ κωμικὸς Σαμίοις. Τάττεται δὲ ἐπὶ τῶν διὰ γῆρας ῥαστώνης δεομένων τινὸς καὶ ἀναπαύλης. Εἴρηται δὲ ἀπὸ στρατιωτικῶν ἵππων οἷς γηράσκουσιν ἐπέβαλλον τὸ καλούμενον τρυσίππιον· ἔστι δὲ τοῦτο σιδηροῦς τροχίσκος οἱονεὶ δημόσιος ὡς χαρακτὴρ τροχίσκος ὃν ἐκπυροῦντες ἐπέβαλον τοῖς σιαγόσι τῶν ἵππων.* Vide Schneider ad Xenophontis Hipparch. I, 13.

1) Apud Harpocrationem s v. *δοκιμασθείς*, vide supra p. 27 not. 2.

2) Hipparch. III, 1. *Τῶν δέ γε μὴν αὐτῷ ἤδη μέλειν δεῖ τῷ ἱππάρχῳ . . . ἔτι δὲ καὶ τἆλλα ὅσα ἐπιδεικνύναι δεῖ τῇ πόλει ὅπως ᾗ δυνατὸν κάλλιστα ἐπιδείξει τά τε ἐν Ἀκαδημείᾳ καὶ τὰ ἐν Λυκείῳ καὶ τὰ Φαληροῖ καὶ τὰ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ.*

καί, Koertius existimat.[1]) Locum Xenophonteum remedii egere, Koertio concedo, atque cum in depertissimis Xenophontis libris sanandis minus scrupulosi interdum esse possimus, quod iam supra vidimus, quodque omnino constat, cumque, quod etiam Koertius in medium protulit, in sequente singulorum locorum descriptione Phaleri non mentionem faciat Xenophon, verba illa *καὶ τὰ Φαληροῖ* cum Koertii delenda esse arbitror, praesertim cum, si verba illa retineremus deleremusque sequens *καί*, hippodromum alio loco in Phalero sito opponeret Xenophon, quod non cogitandum est. Itaque Sauppio, qui alteram Koertio correctionem praeposuit,[2]) quia lenior sit, adsentiri non possum.

De ipsis recensionibus Xenophon (Hipparch III, 9) *ἐν γε μὲν ταῖς δοκιμασίαις*, inquit, *ἡ μὲν τάξις εἴρηται, μεθ' ἧς ἂν κάλλιστα ἱππάζοιντο.* Cum de ordine *δοκιμασιῶν* nusquam antea Xenophon ipse locutus sit, haec verba ita mihi intelligenda esse videntur, ut ordinem illum lege constitutum esse, Xenophon dicat. Sequentibus verbis intellectu non ita facillimis Xenophon, quem modum optime hipparchus sequatur, in medium profert,[3]) quo tamen loco non praecepta lege constituta enarrare, sed sua ipsius proposita commendare mihi videtur. Equitum turmae coram senatu eo ordine optime se movere, ait Xenophon, ut toto ordine curvis lineis vel circulo quodam proficiscente ei, qui exteriore versu collocati

---

1) L. l. p. 177. Errat Sauppius, cum (Goett. gel. Anz. 1881 p. 1486) Koertium verba *καὶ τὰ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ* delere voluisse dicat.

2) Goett. gel. Anz. 1881. p. 1486.

3) III, 9: *ἣν δ' ὁ ἡγούμενος, ἥνπερ ἔχῃ δυνατὸν ἵππον, ἐν τῷ ἔξωθεν ἀεὶ στίχῳ περιφέρηται, οὗτος αὐτὸς μὲν ἀεὶ ταχὺ ἐλᾷ καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἔξωθεν γινόμενοι πάλιν αὖ ταχὺ ἐλῶσιν, ὥστε ἡ μὲν βουλὴ ἀεὶ τὸ ταχὺ ἐλαυνόμενον θεάσεται, οἱ δὲ ἵπποι οὐκ ἀπεροῦσιν ἐν μέρει ἀναπαυόμενοι.*

essent, citius equos intendere deberent, qui intra positi, lentius veherentur; hipparcho vero validum equum habenti semper cum exterioribus equitibus equitandum esse. Deinde quomodo in singulis locis recensionibus destinatis optime versarentur equites, Xenophon enarravit; in hippodromo *ἀνθιππασίαν* commendavit ita, ut diffugerent et rursus obviam veherentur quinae phylae,[1]) ac si in Academia per declive equitarent, ne ipsi deicerentur neve caderent equi, equitibus cavendum esse.[2])

Denique ne in hoc quidem probationum genere artis monumentum deesse videtur. Cum Koertio[3]) mihi anaglyphum quoddam,[4]) in quo equitem unum quatuor ceteris praevenhentem videmus, ad *δοκιμασίαν* pertinere videtur, atque equitem illum praevehentem hipparchum esse arbitror, propter muneris administrationem coronatum.[5]) Quod R. Schoenius *ἱππικὸν ἀγῶνα* in hoc anaglypho descriptum esse arbitratur,[6]) ipse equitum ordinem, quo unus quasi dux a ceteris seiunctus est, tali pompae non convenire confitetur.

---

1) Ibid. § 10. 11. . . . *καλὸν δ' ἐπεὶ αἱ φυλαὶ ἐν τῇ ἀνθιππασίᾳ φεύγουσί τε ἀλλήλας καὶ διώκουσι ταχέως, ὅταν οἱ ἵππαρχοι ἡγῶνται ταῖς πέντε φυλαῖς, ἑκατέρας διελαύνειν τὰς φυλὰς δι ἀλλήλων. κ. τ. λ.*

2) § 14: *ὅταν γε μὴν ἐν τῷ ἐπικρότῳ ἐν Ἀκαδημείᾳ ἱππεύειν δέῃ, ἔχω τάδε παραινέσαι· εἰς μὲν τὸ μὴ ἀποκρούεσθαί ποτε τῶν ἵππων ὑπτίους ἀναπεπτωκότας ἐλαύνειν, εἰς δὲ τὸ μὴ πίπτειν τοὺς ἵππους ὑπολαμβάνειν ἐν ταῖς στροφαῖς.*

3) Archaeol. Zeit. 1880, p. 181.

4) Schöne: Griech. Reliefs Nro. 79. tab. XVII.

5) Hipparchos vel phylarchos coronatos esse interdum ab equitibus docet Hyperides Lycophr. XIII, 21. seqq. *ἐστεφάνωμαι δ' ὑπό τε τῶν ἱππέων πάντων ἀνδραγαθίας ἕνεκα καὶ ὑπὸ τῶν συναρχόντων.* Etiam praefecti aerarii Minervae anno 300/299 ab equitibus coronati sunt; vide C. I. A. II, 612.

6) Griech. Reliefs p. 43.

V.

De pompis panathenaicis.

Interfuisse equites pompis panathenaicis et scriptorum et artis veteris monumenta clare ostendunt. De hac re brevius disserere mihi liceat, cum iis quae Adolfus Michaelis atque C. Wachsmuth protulerunt,[1]) nova addere vix possim. Parthenonis reliquias, quae fati venia nobis servatae sunt, inter alias res ad ferias panathenaicas spectantes etiam equitum turmas expressas continere, notissimum est; quas reliquias Adolfus Michaelis libro, cui inscriptum est: „Der Parthenon" optime et descripsit et expressit, quem ad librum, qui accuratiorem huius rei scientiam sibi comparere student, delegem. — Quod inter equitum pompas praeter equites pari armatu exornatos[2]) etiam variis vestibus indutos[3]) videmus, hos non equitatui Atheniensi tribuendos, sed homines privatos equitatum sequentes intellegendos esse, Michaelis docuit.[4]) Quod attinet ad scriptorum testimonia primum Xenophontem audiamus, qui (Hipparch. III, 1.) *τῶνδε γε μὴν*, inquit, *αὐτῷ ἤδη μέλλειν δεῖ τῷ ἱππάρχῳ· πρῶτον μὲν ὅπως καλλιερήσει τοῖς θεοῖς ὑπὲρ τοῦ ἱππικοῦ, ἔπειτα ὅπως τὰς πομπὰς ἐν ταῖς ἑορταῖς ἀξιοθεάτους ποιήσει κ. τ. λ.* — Pompas et diis et spectatoribus gratissimas fore Xenophon arbitratur,[5]) si quotquot deorum fana ac

1) Michaelis: Der Parthenon p. 215 seqq. et p. 331. C. Wachsmuth: Die Stadt Athen im Alterthum p. 285 seqq.

2) Michaelis tab. 10.

3) ibidem tab. 13.

4) ibidem pag. 216.

5) Hipparch. III, 2. *Τὰς μὲν οὖν πομπὰς οἶμαι ἂν καὶ τοῖς θεοῖς κεχαρισμενωτάτας καὶ τοῖς θεαταῖς εἶναι, εἰ ὅσων ἱερὰ καὶ ἀγάλματα ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐστι ταῦτα ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν Ἑρμῶν κύκλῳ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὰ ἱερὰ περιελαύνοιεν τιμῶντες τοὺς θεοὺς . . . . Ἐπειδὰν δὲ πάλιν πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς γένωνται περιεληλακότες, ἐντεῦθεν καλόν μοι δοκεῖ εἶναι κατὰ φυλὰς εἰς τάχος ἀνιέναι τοὺς ἵππους μέχρι τοῦ Ἐλευσινίου.* . . . . . .

signa in foro sint, illa equites a Mercurialibus exorsi statuis in honorem deorum circumequitent. Ubi circumvecti rursus ad Mercurialia pervenerint, tum si tributim celerius equi usque ad Eleusinium incitentur, Xenophonti pulcrum videtur. Equites ipsius pompae panathethenaicae non cogitasse Xenophontem, A. Mommsenus existimat (Heortologie p. 191), cum sine dubio tarde pompa illa se moverit, sed viam pomparum ostendere Xenophontem. Mihi tamen res ita se habere videtur, ut si viam cognoscamus ex hoc loco Xenophonteo, ipse Xenophon quoque pompas illas panathenaicas cogitare debuerit; neque enim citius se movisse equites Xenophon ait, sed pulcrum sibi videri, si celerius equos intenderent. — Quibus in pompis quomodo optime versarentur equites, sequentibus inde verbis Xenophon protulit in medium ac de equis ad tales pompas idoneis fusius disseruit libri, qui inscribitur *περὶ ἱππικῆς*, capite XI.

Cetera scriptorum veterum testimonia, quae iam ex parte Michaelis contulit (pag. 331), hoc loco afferre mihi liceat:

Demosth. IV, 26: *Οὐκ ἐχειροτονεῖτε δὲ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα ταξιάρχους καὶ στρατηγοὺς καί φυλάρχους καὶ ἱππάρχους δύο; τί οὖν οὗτοι ποιοῦσιν; πλὴν ἑνὸς ἀνδρὸς, ὃν ἂν ἐκπέμψητε ἐπὶ τὸν πόλεμον, οἱ λοιποὶ τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν.*

Demosth. XXI, 171. *Ὑμεῖς γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐχειροτονήσατε τοῦτον τῆς Παράλου ταμίαν, ὄντα τοιοῦτον οἷός ἐστι καὶ πάλιν ἵππαρχον ὀχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς ταῖς πομπαῖς οὐ δυνάμενον.*

Theophr. Char. 21. . . . *καὶ πομπεύσας [δὲ] μετὰ τῶν ἱππέων τὰ μὲν ἄλλα πάντα δοῦναι τῷ παιδὶ ἀπενεγκεῖν οἴκαδε, ἀναβαλλόμενος δὲ θοἰμάτιον ἐν τοῖς μύωψι κατὰ τὴν ἀγορὰν περιπατεῖν.*

Athenaeus IV, 64. *Ταῦτα δ' ἀκούσας Ἀντίγονος*

θεσμοθέτην αὐτὸν κατέστησε. τοῖς δὲ Παναθηναίοις ἵππαρχος ὢν ἰκρίον ἔστησε πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς Ἀρισταγόρᾳ μετεωρότερον τῶν Ἑρμῶν.

Plut. Vit. Phoc. 37. Ἦν δ' ἡμέρα μηνὸς Μουνυχιῶνος ἐνάτη ἐπὶ δέκα, καὶ τῷ Διὶ τὴν πομπὴν πέμποντες οἱ ἱππεῖς παρεξῄεσαν. κ. τ. λ.

Hesych. s. v. ἱππάς· . . . καὶ αἱ θυσίαι δὲ αἱ περὶ τῶν ἱππέων ἐπιτελούμεναι ἱππάδες ἐλέγοντο. καὶ ἡ εἰς τὴν θυσίαν λαμβανομένη βοῦς ἱππάς.

Suidas s. v. Ἱππεῖς· . . . . . ὅθεν καὶ τὰς θυσίας ἃς αὐτοὶ πέμποιεν ταῖς πομπαῖς ἐκάλουν ἱππάδας.

Platonis locum,[1]) quem Hermannus attulit[2]) non pompae exemplum esse videtur sed certaminis equestris (ἱππικοῦ ἀγῶνος), quod verba ἁμιλλώμενοι τοῖς ἵπποις ostendunt, quo de certamine, cum ad equitatum ipsum non pertineat, mihi non disserendum est.

Denique Mommseno adsentior, qui non modo in maioribus verum etiam in minoribus Panathenaeis factas esse illas equitum pompas pro vero habet,[3]) cum etiam pace semper praesto fuerit Atheniensibus equitatus, ac novae impensae vix enasci potuerint.

VI.

Cetera de quibus disserere mihi proposui, cum breviora sint, uno capite complecti liceat. —

Praeter equites ipsos etiam sagittarii equestres Athenis exstitisse iam supra vidimus, quos ducentos fuisse e Thucydidis loco supra laudato[4]) discimus. Sa-

1) De republica I, 1. Καὶ ὁ Ἀδείμαντος, Ἆρά γε, ἦ δ' ὅς, οὐδ' ἴστε ὅτι λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ; Ἀφ' ἵππων; ἦν δ' ἐγώ· καινόν γε τοῦτο. λαμπάδια ἔχοντες διαδώσουσιν ἀλλήλοις ἁμιλλώμενοι τοῖς ἵπποις; ἢ πῶς λέγεις κ. τ. λ.

2) De equit. att. pag. 19, not. 51.

3) Heortologie pag. 176.

4) pag. 11.

gittarii illi non cives Athenienses sed peregrini videntur fuisse, plerique Scythae, nam inter eos merere turpe videbatur civibus Atheniensibus.[1]) Talem *ἱπποτοξότην* barbaro vestitu indutum in illa patera equitum probationem continente expressnm videmus, quam Koertius l. l. tractavit. — Praeterea Xenophon *προδρόμους* atque, quod idem videtur esse, *προόδους* commemorat,[2]) qui tamen utrum ex ipsis equitibus electi sint an non, disceptari non possumus. Prodromi circum hipparchos et phylarchos equitasse atque ab his, ubi necesse erat; praemissi esse videntur.[3])

Civitatum in societatem recipiendarum foedera equites interdum iureiurando affirmasse, quod recte admonuit Gilbertus,[4]) ex hisce titulis psephismata continentibus videmus:

C. I. A. II, 49.

Φιλοκλῆς Ὠ[. . . . . ἐγραμμάτευεν] | [ἐ]πὶ Ἱπποδάμα[ντος ἄρχοντος ἐπὶ τῆς . . . . ίδος δ]||[ευ]τέρας πρυταν[είας ᾗ Φιλοκλῆς Ω. . . . .] ¦ ἐγραμμάτευε ἔδο[ξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμω]ι Κρ[ιτ]||[ί]ος εἶπε · περὶ ὧν λέ[γουσιν ἐν τῇ βουλῇ οἱ π[ρ]έσβ[ει|ς] τῶν Κερκυραίων καὶ τ[ῶν Ἀκαρνάνων κα]ὶ τῶν Κεφα[λ]λήνων ἐπαινέσαι μὲν τ[οὺς πρέσβεις κ. τ. λ. . . . . . καὶ ἀποδοῦνα[ι τοὺς ὅρκους τα]ῖς πόλε[σι] ¦ ταῖς ἡκούσαις τὴν βουλὴν [καὶ τοὺς στρατηγοὺς(?) καὶ τ[οὺ]ς ἱππέας καὶ τοὺς συμμάχ . . . .

Mittheil. d. deutsch. archaeol. Instit. zu Athen II, p. 201, edente Ulrico Koehler:

---

1) pag. 11, not. 4.

2) Hipparch. I, 25. . . . . *εἰ τοὺς ἀμφὶ σὲ προδρόμους κοσμήσαις μὲν ὅπλοις ὡς κάλλιστα κ. τ. λ.* IV, 5: *ἢν δ' ἐν ἐπικινδύνῳ ἐλαύνητέ που, φρονίμου ἱππάρχου τὸ τῶν προόδων ἄλλους προόδους διερευνωμένους προηγεῖσθαι.*

3) Vide supra pag. 11, not. 3.

4) Handb. d. griech. Staatsalterth. I, p. 309.

Θεοὶ
Ἐπὶ Νικοφήμου ἄρχοντος
συμμαχία Ἀθηναίων καὶ
Θετταλῶν εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον.

Ἔδοξεν τ[ῇ]ι[β]ουλῇ κα[ὶ] τῷ δήμῳ κ. τ. λ. . . . . ὀμόσαι δὲ Ἀ[θη]ναίων μὲν τοὺς στρ[ατη]γοὺς καὶ τ[ὴν] βουλὴν καὶ τοὺς ἱππάρχους καὶ τοὺς ἱππέ[α]ς τόνδε τὸν ὅρκον.

Ibidem pag. 212, edento eodem.

. . . *[ὀ]μόσα[ι] δὲ Ἀθηναίων μὲν [τ]οὺς στρατηγο[ὺς καὶ τὴ]ν βουλὴν καὶ τοὺς ἱ]ππέας, Ἐρετριέων δὲ τ[οὺ]ς στρατηγοὺς καὶ τ]ὴν βουλὴν καὶ το[ὺς ἱπ]π[έ]ας καὶ τὰς ἄλλας] ἀρχάς. κ. τ. λ.*

Nec de equitum equorumque armatu nec de rebus tacticis spectantibusve ad bellum hoc loco mihi dicendum est, quas res amplius tractaverunt Ruestowius atque Koechlyus (Gesch. d. griesch. Kriegswesens p. 134 sqq.) Nec quomodo equis consuluerint Athenienses, in medium proferam, cum praesertim, quae de hac re scire licet, paene omnia in uno Xenophontis libello legamus, quem *περὶ ἱππικῆς* scripsit, pauca praeterea primo Hipparchici capite; hoc tamen reticere nolo, inter Xenophontis praecepta permulta exstare, quae nostra quoque aetate qui equos alant observare soleant, quo de Lituaniae provinciae nostrae *ἱπποβότοιο* filius iudicium vindicare posse mihi videor.

Atque alia quoque Xenophontis praecepta paucis attingam. Cognitum habuisse Xenophontem, quod militis fuerit, optimumque ipsum fuisse militem, quis est quin sciat; at quicunque Hipparchicum perlegit, ei paene incredibile videatur, hominem rei militaris peritissimum tam multa scripsisse, quae ab omni disciplina militari prorsus abhorreant,[1]) quae ut ostendam locos

---

1) Vide Wilamowitz Philol. Unters. I, pag. 24.

nonnullos afferam: „Minoribus natu, inquit,[1]) ut ipsi equis insilire discant, persuadendum est; aetate provectioribus, si, ut more persico ab aliis in equos subleventur, consuefeceris, haud parum profueris. *Ὅπως γε μὴν*, pergit (§ 18), *ἐν παντοδαποῖς χωρίοις ἔποχοι οἱ ἱππῆς δυνήσονται εἶναι, τὸ μὲν πυκνὰ ἐξάγειν μὴ πολέμου ὄντος ἴσως ὀχληρόν· συγκαλέσαντα δὲ χρὴ τοὺς ἱππέας συμβουλεῦσαι αὐτοῖς μελετᾶν, καὶ ὅταν εἰς χώραν ἐλαύνωσι καὶ ὅταν ἄλλο σέ ποι, ἐκβιβάζοντας τῶν ὁδῶν καὶ ταχὺ ἐλαύνοντας ἐν τόποις παντοδαποῖς. τοῦτο γὰρ ὠφελεῖ μὲν παραπλησίως τῷ ἐξάγειν, ὄχλον δ'οὐχ ὁμοίως παρέχει.*

Atque sexto capite postquam, quomodo oboedientiam et benevolentiam sibi compararet hipparchus enarravit, ita pergit (§ 4): *Ἥκιστα δ'ἂν καταφρονοῖεν ἄρχοντος ὡς μὲν συνελόντι εἰπεῖν, εἰ ὁπόσα ἐκείνοις παραινοίη, αὐτὸς ταῦτα βέλτιον ἐκείνων φαίνοιτο ποιεῖν. ἀρξάμενον οὖν δεῖ ἀπὸ τοῦ ἀναβαίνειν ἐπὶ τοὺς ἵππους πάντα τὰ ἐν ἱππικῇ μελετᾶν, ὅπως ὁρῶσι τὸν ἄρχοντα δυνάμενον ἐπὶ τοῦ ἵππου τάφρους ἀσφαλῶς περᾶν καὶ τειχία ὑπεραχρίζειν καὶ ἀπ' ὄχθων καταίρειν καὶ ἀκοντίζειν ἱκανῶς πάντα γὰρ ταῦτα προκόπτει τι εἰς τὸ μὴ καταφρονεῖσθαι κ. τ. λ.* — Quae cum ita sint cumque ut Wilamowitzio ita mihi quoque, bono animo Hipparchicum scripsisse Xenophontem, persuasum sit, equitum Atheniensium statum certe Xenophontis aetate miserrimum fuisse, negare non poterimus; nec mirum est, si quod iam supra vidimus, solum atticum ad equitandum non ita idoneum fuisse, respicimus. Qualis non dico atticus sed omnino graecus equitatus fuerit, ex hoc Anabaseos loco (III, 2, 18) discere possumus: *εἰ δέ τις ὑμῶν ἀθυμεῖ ὅτι ἡμῖν μὲν οὐκ εἰσὶν ἱππεῖς, τοῖς δὲ πολεμίοις πολλοὶ πάρεισιν, ἐνθυμήθητε ὅτι οἱ μύριοι ἱππεῖς οὐδὲν ἄλλο ἢ μύριοί εἰσιν ἄνθρωποι· ὑπὸ μὲν γὰρ ἵππου ἐν μάχῃ οὐδεὶς πώποτε*

---

1) Hipparch. I, 17.

οὔτε δηχθεὶς οὔτε λακτισθεὶς ἀπέθανεν, οἱ δὲ ἄνδρες εἰσὶν οἱ ποιοῦντες ὅ, τι ἂν ἐν ταῖς μάχαις γίγνηται. οὐκοῦν τῶν ἱππέων πολὺ ἡμεῖς ἐπ' ἀσφαλεστέρου ὀχήματός ἐσμεν· οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππων κρέμανται φοβούμενοι οὐχ ἡμᾶς μόνον ἀλλὰ καὶ τὸ καταπεσεῖν· . . . . ἑνὶ μόνῳ προέχουσιν οἱ ἱππεῖς ἡμᾶς· φεύγειν αὐτοῖς ἀσφαλέστερόν ἐστιν ἢ ἡμῖν. Neque equitatus auctoritas permagna Athenis videtur fuisse; totum equitatum senatum custodiisse, supra protuli; atque oratores quosdam perpetuo in senatu res ad equitatum spectantes tuitos esse, Xenophon dixit vel, ut ita fieret, postulavit.[1]) Et quamquam Koertio[2]) non concedendum erit, omnia quae poscat Xenophon, nunquam fere facta esse, tamen cum omnino talia postulari potuerint, non ita optime equitatus res sese habuisse videmus.

---

1) Xen. Hipparch. I, 8 . . . . *ἐν δὲ τῇ βουλῇ ἔχειν ῥήτορας ἐπιτηδείους, ὅπως λέγοντες φοβῶσι τε τοὺς ἱππέας, βελτίονες γὰρ ἂν εἶεν φοβούμενοι, καταπραΰνωσί τε τὴν βουλήν, ἤν τι παρὰ καιρὸν χαλεπαίνῃ.*

2) Arch. Zeit. 1880 p. 178.

Theses.

1. Xenophon non, ut voluit Kruegerus, anno 444 sed circiter anno 430 a. Chr. n. natus est.

2. In versu Horatiano (Epist. I, 14, 43).

„Optat ephippia bos, piger optat arare caballus“ verbum „piger“ ad „caballus “non ad „bos“ referendum est.

3. Lysias aptus est, qui cum discipulis gymnasiorum a praeceptoribus maxime tractetur.

Vita.

Gustavus Ludovicus Georgius Lejeune Dirichlet natus sum a. d. XII Cal. Octobr. 1858 in vico, cui nomen est Bretschkehmen, prope ad oppidulum quod est Darkehmen, patre Waltario, matre Anna de gente Sachsiana, quibus adhuc vivis gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae, Gymnasium frequentavi inde ab auctumno anni 1867 Regiomonti Collegium Fridericianum, quod tum floruit auspiciis G. H. Wagneri directoris humanissimi ac liberalissimi. Vere anni 1877 maturitatis testimonium adeptus, Lipsias me contuli ac per annum philologiae studui. Deinde per annum Bonnae moratus, vere anni 1879 Regiomontum reverti, ubi per quinque semestria philologiae studium exsecutus sum ac per tria semestria proseminarii, per duo seminarii philologici, per quinque seminarii historici sodalis fui. Scholas frequentavi Lipsiis: *Biedermanni, G. Curtii, Langii, Lipsii, de Noorden, Ribbeckii, Springeri.* Bonnae: *Bernaysii †, Buecheleri, Kékulé, Schaeferi, Useneri.* Regiomonti: *Friedlaenderi, Iordani, Ludwichii, Ruehlii, Walteri,* quibus omnibus sed maxime *Francisco Ruehl* gratias habeo quam maximas propter benevolentiam mihi praebitam.

A. d. III Id. Mart. 1882 examen rigorosum absolvi.